











Ex Libris Josephi Almantii Patavini

R Benjamin ben Jonah of Tudela

BENIAMINI
TVDELENSIS
ITINERARIVM
EX VERSIONE
BENEDICTI ARIAE MONTANI.

SVBIECTAE SVNT
DESCRIPTIONES MECHAE
ET
MEDINAE - ALNABI
EX ITINERARIIS
LVDOVICI VARTOMANNI
ET
IOHANNIS WILDII.

PRAEFIXA VERO DISSERTATIO AD LECTOREM,
QVAM SVAE EDITIONI PRAEMISIT
CONSTANTINVS L'EMPEREUR,
ET NONNVLLAE EIVSDEM NOTAE.



LIPSIAE
APVD IOANN. MICHAEL. LVDOV. TEVBNER.
M DCC LXIV.


BRITISH MUSEUM



CLARISSIMO
AMPLISSIMO ET CONSVLTISSIMO
VIRO
DOMINO
BRODERO PAVLI,
LEGVM DOCTORI,
ET IN CELEBRI HAMBVRGENSI REPVB.
CAVSSARVM PATRONO,
DOMINO
ET FAVTORI SEMPER OBSERVANDO
S. D.
FRIDERICVS VLRICVS CALIXTVS.

Miraberis forte, vir clariſſime, nec immerito, quid ad Te ego adferam. Tua ſane tanta in me eſt beneuolentia, et tot praeclara eius argumenta, vt niſi viciſſim ob-

ſeruantiam meam teſtatam reddere annitar, reprehendi haut iniuria debeam. Dum vero nihil magis cupio, et hoc ipſum animo voluo, animaduerto mihi, quae mea aetas et imbecillitas eſt, deeſſe, quod vel tenuis ſpeciminis inſtar proferam. Nata nihilominus eſt ſollicito et cuncta circumſpicienti occaſio, ſi non demonſtrandi, ſaltim indicandi affectus mei: quam ne moleſtum Tibi ſit audire, Te oro, et facile, quae Tua humanitas eſt, niſi omnia me fallunt, impetrabo. Triennium nunc eſt, quum venerandus parens meus typographum ſuum excudere iuberet Itinerarium Beniamini Tudelenſis, vti a Benedicto Aria Montano latine conuerſum, et Ant-
ann. 1575. uerpiae a Plantino ante annos LX. editum fuit. Animaduertebat enim librum oppido celebrem eſſe, et ab eruditis ſaepe in teſtimonium aduocari; quanto ſuo merito, meum non

non eſt aeſtimare: exempla vero eius pridem ad tantam raritatem redacta, vt in aliquod aliquando incidiſſe ſecundae fortunae imputandum videretur. Volebat itaque ſtudioſis, quos forte libri ſaepe laudati et numquam viſi deſiderium vreret, gratificari. Caeterum quum iam typographus ſupremam manum impoſuiſſet, ecce prodit e Lugduno Batauorum editio duplex, Latina vna, altera Hebraeolatina, vtraque elegans & accurata. Debemus eas clariſſimo viro Conſtantino L'Empereur, Hebraearum literarum in illa academia profeſſori, et Iudaicarum rerum indagatori ſedulo, qui et notas adiecit, et veteri verſioni nouam, haut paullo quam illa eſt meliorem ſubſtituit. Hiſce viſis coepit parenti ſua editio ſordere, adeo vt abiiceret et perpetuis tenebris damnatum iret. Ego vero quum in exempla his diebus inci-

 diſ-

diſſem, exiſtimaui non eſſe committendum, vt plane periret quidquid in eam operae impenſum, aut hac ipſa fraudarentur, quibus Batauas nanciſci non eſſet in procliui. Oraui igitur, ut mihi poteſtas emittendi permitteretur. Quam quum impetraſſem, ſimul me materiam declarandae meae erga Te gratitudinis et obſeruantiae adeptum credidi. Numero enim occurrebat, Tuo nomini inſcribi oportere: atque ita ex alieno vadem me producturum, donec e proprio exſoluendi copiam maturior aetas concedat. Quod meum factum, quale quale eſt, vt benigne accipias, nolo multis, ne de Tuo in me animo quaſi minus perſpecto dubitare videar, rogare. Vale. Helmſtadii in acad. Iulia KL. Decembr. CIↃ IↃCC XXXVI.

CL.



CL. V.

CONSTANTINI L'EMPEREUR
IN ITINERARIVM BENIAMINI DISSERTATIO
AD LECTOREM.

Benevole Lector, cuius tibi opusculum exhibeo est Beniamin: de quo haec inuenio in Iouchasin siue Chronico Abrahami Zacouthi, folio editionis Cracouiensis 131. *Rabbi Biniamin, qui multum peregrinatus est*, *obiit anno* 933. siue a nato Christo 1173. *magnum illud luminare, cuius sol toti Israeli exortus fuit.* Vnde colligere promtum est, non diu post suum ex itinere reditum superuixisse: siquidem eodem isto anno rediisse legitur; quemadmodum sub initium huius sequentis opusculi testatur. Plenius de hoc viro in Tsemah Dauid

ſiue Chronico Dauidis Gans, partis prioris fol. 55. *Doctor Beniamin filius Ione Tudelenſis, qui multum peregrinatus eſt, profectus e regione Navarrena continuo itinere peragravit omnes tres mundi plagas, Europam, Africam, et Aſiam: et quocunque perueniſſet, omnia perſcribebat quae vel viderat, vel ex fide dignis hominibus audiuerat, eaque ſcripto conſignans commemorabat etiam nonnullos magnates, et Iudaeorum in pleriſque locis numerum. Quemadmodum omnia iſta, quae memoraui, eo libro inuenies excuſa, cui titulus, liber itinerum Beniaminis. Caeterum vir iſte peritorum erat ſapientiſſimus et rerum intelligens. Poſtquam autem ex itinere reuerſus eſſet, an. 933. ſiue I. Chr. 1173. mortem obiit.* Hic nulla operis plenioris mentio; ſed autor tantum excuſi itinerarii meminit, alterum illud opus, quod nonnulli extare putant, alto ſilentio praeteriens: quod tamen non feciſſet, ſi Iudaei illud alicubi extare vel unquam exſtitiſſe credidiſſent. Huius excuſi itinerarii duae ſunt editiones: una Conſtantinopolitana, quam mihi ſuppeditauit pro ſuo ſingulari in me affectu aeternum Belgii decus magnus ille Heinſius; altera eſt Briſgoenſis, quam incomparabilis vir Iohannes Buxtorfius olim ad magnum Scaligerum tranſmiſerat. Liber rariſſimus, quem tamen Ebraeorum magiſtris ſatis notum fuiſſe, docent cum praecedentium teſtimonia; tum aliorum: eius enim inter alios mentionem etiam facit R. Iſaac filius Aramae, commentariis in Gen. qui inter Iudaeos

daeos fiunt plurimi. Ita enim fol. 92. *Olim commemorauit Doctor Beniamin auctor itinerarii, se propriis oculis vidisse, in urbe Bagdad ciuitate maxima ac amplissima, Israelitarum multa millia, atque etiam dominatum ibi fuisse; quo vero die illorum regis natalitia aguntur, principem e prosapia Dauidis apud illum in secundo ipsius curru vectari, et cum magna gloria coram acclamari, Parate viam filio Dauidis.* Verum non dicit multa millia; sed mille: nam pag. 63. haec leguntur verba, *Illic Bagdadi mille ferme Iudaei degunt.* Nec dicit Beniamin, quo die Muhammedanorum Caliphae natalitia aguntur, Iudaeorum principem apud illum curru vehi, quasi ipsi similis esset; sed quo die ipsum exulum caput creatur a Calipha, ipsum curru secundario domum deduci: quemadmodum pag. 66. narratur. Deinde Beniamin pag. 64. sq. ipsi acclamari dicit cum Calipham salutatum it; non vero cum Caliphae natalitia aguntur, quasi tum de ipso magis, quam Calipha in acclamatione sua homines istius regionis sollicitì essent. Nec omnia ista se vidisse testatur Beniamin; sed multa narrat tantum: et cum libri praefatio, tum Davidis Gans testimonium supra productum satis superque, multa quae Beniamin narrat, ab ipso tantum audita fuisse, testantur. Verum ut fingit Beniamin, ita huius figmenta auget Isaac f. Aramae: idque in eum finem, ut nobis extorqueant e manibus telum, quo ipsos petimus

e cap. 49. verſ. 10. Gen. Ideo Beniamin p. 63. et aliquot ſequentibus tam magnifica de Iſraelitarum ſenatu, multiplici gloria, dominio &c. enarrat, et poſtea de regno eorundem pag. 53. aliiſque: quae ſane excogitavit et finxit; vel ſaltem e privilegiis quibuſdam, quibus precario fruuntur, dominia, regna ac ſummam dignitatem confecit. An hoc in ſenſum communem cadit, Iudaeos ac Iſraelitas hic et in Germania paſſim ſub iugo ſeruitutis, imo in latiſſimo Hiſpanorum regno ſub tyrannide, malle vitam agere, quam Bagdadum petere aliaque loca, ubi eorum imperium nobis deſcribit Beniamin? An ſi tanta Iſraelitarum illic felicitas, eo ſaltem Orientales Iudaei non contenderent? Et ne quis excipiat, regnorum ſaltem in deſerto Chabor ſitum ipſos latere: ecce Abraham Peritſol ſui libelli Orchoth Olam c. 14. iter praemonſtrauit, ubi non tantum initio viam deſcribit, qua venerat Iudaeus quidam ex illis regnis Chabor; ſed etiam viam membratim proponit, qua rediturus eſſet. Totam hiſt. vt Iudaeorum figmenta magis innoteſcant, vertere non grauabor. *Ipſo anno* 283. *ſexti millenarii rumorem Venetis nauibus e terra decoris (ubi Iſraelitae) allatum audiuimus, ſcripto Ebraico: ubi continebatur, qui eo perueniſſet Iudaeus aliquis ex reliquis tribubus, noua narrans quae in terra inuenirentur. Quibus narrationibus non neceſſario credebatur, donec poſtquam transfretaſſet anno* 284. *et Venetias appuliſſet, tandem*

dem Romam se contulisset: inde verum intelligentibus ipsius iter et conditio comprobata fuit. Nempe, hunc Iudaeum esse ex duarum illarum tribuum societate, quantum ex ipsius verbis perciperetur. qui se e reliquis illis testabatur, quae in illis desertis quemadmodum Recabitae habitarent in tentoriis, stationemque suam esse in deserto Chabor in Asia maiori: infra vero et supra ipsos, caeteros Israelitas e decem tribubus habitare, prope deserta qua ad Lamikam et Gidam ad mare Algosum sitas tenditur. Ipsis atque caeteris omnibus suos esse reges et principes, multosque populos arenae instar quae ad littus maris est: prouentum etiam aromatum sapidorum, vt piperis, et odoratorum simplicium, omniumque desiderabilium, quae in manu sua haberent; quemadmodum amplius suo loco describemus. Verumenimuero, inter duas istorum Iudaeorum societates est quaedam Muhammedanorum gens valida et fortis, quae cum multis regibus suis infestat societatem istorum Iudaeorum, nec permittit vt alteri ad alteros transeant et accedant. Nam iam a multis diebus, imo annis procul a se inuicem dissiti, alii ad alios accedere tentarunt; nec tamen potuerunt. Postquam autem illic in istis regionibus iam a multis diebus et annis innotuit Christianarum nauium aduentus, validarum ac potentium, atque etiam senserunt, audiuerunt, & viderunt tormenta bellica, quae essent in Christianorum manibus ex metallo excauato, quo globos ignis virtute proiicerent, omniaque habitacula et

mu-

munimenta demolirentur: decreuerunt Iudaei in deserto Chabor, (vt ipse narrabat) istum Iudaeum ad magnum omnium Christianorum regem ablegare cum quibusdam in manu sua indiciis, quibus fidem impetrarent eius verba. Quae pro veris agnita et constabilita sunt a rege Lusitaniae, qui vehitur ad illas regiones Indicas, id est, Indianas, nauali itinere mare sulcans, et esse illic regnum Iudaeorum nouit. Scripsit etiam ad Papam (cuius exaltetur maiestas) hunc praedictum Iudaeum eiusque verba fide digna esse. Nihilominus, quicquid sit, siue verba eius fidem impetrent, siue secus: nobis hodie in hoc exilio nostro, nostrisque regionibus sufficit, quod a regibus & principibus interque multos in vicis Romanis verum habeatur, adhuc inueniri quamplurimas Israelitarum tribus, quibus multi sint reges: caeterum de Iudaeo qui aduenit, sit quicquid sit. Porro quum verum sit, inueniri Iudaeos cum regibus suis; narrare conuenit, Iudaeum istum hac venisse via, atque hoc modo. E deserto Chabor profectus, qua via transeunt coetus commeantium (Karuvvaen *vocant: nam ita solent, ita etiam perscriptum, & de ipso auditum ex ore eius) per regionem Arabiae felicis transiens ad mare Algosum peruenit: indeque in Aegyptum delatus, postea in terram decoris siue Canaan ascendit, vbi naues Venetas praestolatus, quibus in Italiam transfretaret, Romam appulit. Ibi Romae octo ferme menses consedit: donec responsum regis Lusitaniae de veritate verborum istius, eiusque conditione afferretur. Qui ista*

refe-

referunt, itemque honorati Iudaei cum ipso colloquuti, verum esse asserunt, Iudaeum istum a Papa Gentium rege auxilium implorasse, quo sibi darentur tormenta bellica ex metallo ad globos eiaculandum confecta; tum periti artifices, vt eos secum in Arabiam felicem deueheret, ad illorum commemoratos hostes delendos: se vicissim in manum Papae eiusque excellentiam collaturum alia quaedam vtilissima in vsum Papae (c. e. m.) modumque imperandi locis quibusdam vbi cum alia, tum aromata cum sapida, tum odorata simplicia. Idque vt isti Iudaei congregarentur et adunarentur, quo progressi transirent ad haereditario iure acquirendum & subiugandum terram decoris siue sanctam: siquidem est aeternum Israelis haeredium. Haec omnia oculi mei viderunt in libris fide dignis; auresque meae e viris honoratis ac veracibus audiuerunt. Atque Deus est veritas perfecta, qui non fallet vel mentietur; nec quicunque ad eum se recipiunt, erubescent: et veritas per se germinabit et sibi viam parabit. Porro hoc die mensis Marchesuam siue Octobri an. 285. narrantes audiuimus, qui Papa iste Clemens rex Gentium praeceperit, et assenserit, vt illum dimitterent et magnifice prosequerentur naue magna, machinis bellicis onusta ac artificibus cum Iudaeis tum Christianis, versus Lusitaniam: praeterea de ipso Iudeo regi iniunxerit, quo nauem amplius pro voluntate sua repleret: denique omnibus nationibus Christianis praeceperit, vt dum illac transiret, ipsum honorarent, iuuarent, eiusque desiderio in commemora-

mora-

moratata petitione satisfacerent. Verum ista omnia vti erunt, ita existent: viam tantum describere volo, qua magis secure suo indicio iter instituere poterit, quam alia: si vera dicant qui referunt se eum deducturos in Lusitaniam. Inde ergo e Lusitania per mare Oceanicum descendens circumibit continentem illius Mauritaniae quae vulgo Fez nuncupatur, et in mari a dextris relinquet omnem tractum insularum fortunatarum, quae hodie Spaniolae dicuntur; deinde continentem Arsinarii, siue Cabo-verde *legens, circum Africae continentem a sinistra sitam nauigans versus Orientem tendet, ad magnum illud promontorium dictum* Cabo di bona speransa, *siue frontem Africae, atque tandem sinum quem Barbaricum vocant circumuectus, quo fretum maris Algosi assequatur, ibi in continentem descendet vt desertum Chabor inueniat, sicuti fiet, vt ita ad locum suum perueniat. Quemadmodum hos omnes nouos tractus postea exponemus. Quod Iudaei formam et actiones concernit; quantum audiuimus, statura est breui, macilentus, animosus, in precibus assiduus, fuscus, animam suam ieiuniis affligans. Aliquando sex dies continuos perdurauit, quibus se interdiu noctuque afflixit: vt scriptores narrant. Propria ipsius lingua erat ferme lingua sancta, quae ille veluti balbus non intelligebatur. Quandoque viri honorati Romam venientes illum domi suae quaerebant; sed eos repellens non recipiebat. Mula Romae vectus, vt noua huius regionis perlustraret, quum sua mula in S. Pe-*

tri

tri Basilicam ingressus esset ad magnum vsque altare, de mula descendere noluit, stipatus decem circiter Iudaeis qui ipsum praecederent et amplius ducentis Christianis. Ioua de Israele bona praecipiat. Sed Peritsol iste audita tantum narrat; Iudaeum illum non viderat, vel cum ipso locutus erat: quod testantur verba sub capitis istius finem, *Forma istius Iudaei eiusque opera, quantum audiuimus, etc.* Sane Iudaeis familiare est, vt multa fingant: quemadmodum vel vnum hoc Rab. Iachiadae ad v. 8. c. 8. Danielis ostendit, vbi Alexandrum magnum Romulo Romam quartam sui imperii partem assignasse, et Herodi Ptolemaidis imperium dedisse refertur: sed de his alias, Deo fauente, plura adiiciam. Noster etiam vbi ad remota ista loca peruenit, ibi demum disertus esse incipit, eaque narrat quae nunquam idoneis testibus probabit. Cuiusmodi est et illud quod de hominibus sacco se includentibus vel potius boum pellibus, narratur pag. 93. vbi tempestate iactati, se pellibus insutos in mare praecipitare, deinde ab aquilis in terram exportari, atque tandem cultris liberatores adorti, iis interfectis domum redire feruntur.

Sed praecipua eloquentia in describendo Iudaeorum dominio: quod ignorant quicunque Orientem postea lustrarunt. Affirmant Iudaeos in Oriente ius gladii non habere; nec huiusmodi synedria habere, nedum regna, quae indigitat Beniamin, sed ab iis (si qui hoc priui-

legio

legio gaudeant vt controuersias inter suos diiudicent) ad Muhammedanos prouocationem dari. Nobilissimus vir David de Willem, cognatus meus (ob longam multarum rerum experientiam Illustrissimo Arausionum Principi a consiliis) in Oriente per annos duodecim versatus, cum in omnia inquisivisset nihil simile invenire potuit. Quin ne ipse quidem Iacobus Golius (lumen Academiae nostrae;) qui ad Orientalium rerum notitiam sibi comparandam in Orientem profectus conditionem et statum istarum gentium perlustrauit, nec in Orientalium libris, nec familiari colloquio, nec regiones peragrando ficta ista dominia ac regna deprehendere potuit. Atque vt Iudaeos suo iugulem gladio, quid D. Kimchi tantus ipsorum Doctor? in Hos. 3.4. vbi Deus dixerat, *dies multos manebunt filii Israelis absque Rege et absque Principe*, ipse addit, *Hi sunt dies exilii in quo hodie sumus, nec Regem nec Principem ex Israele habemus; sed in potestate gentilium sumus, et in potestate regum ipsorum et principum ipsorum.* Quid Abrabaniel de quo tantopere gloriantur? hic ad Esa. 53.8. in priori expositione haec scribit; *Praeterea meminit tertii generis malorum exilii, nempe quod penes Israelitas non sit regnum, nec dominium, nec sceptrum iudiciale:* vbi plura in eandem sententiam sequuntur, atque inter alia synedrium habere negat; cum Beniamin vel decem ipsis in una ciuitate Bagdad assignet. Celeberrimus inter Iudaeos Maimonides comm. ad sect. 1. cap. 8. codic.

codicis. *Baba Kama* similiter loquitur, *Est e praecipuis fundamentis legis nostrae, non exigi poenam vulnerum in Babylonia; idemque ius in omnibus reliquis terris, Israelitica excepta, seruandum.* Codice Berach. fol. 58. p. 1. circa medium, *Ab eo tempore quo e terra nostra migrauimus, non habemus occidendi potestatem.* Claudam testimonio Chaldaei paraphrastae, qui hoc modo enarrat Hos. 3. 4. *Multos dies permanebunt Israelitae absque rege e familia Dauidis, nec erit qui dominium exerceat in Israelitas.* Haec omnia ideo profero, vt omnibus liqueat, quam noster Beniamin cum sequace suo Isaaco nobis Christianis imponere conetur, quamque suos ac domesticos doctores eosque primarios aduersarios habeat. Aliqui quum 53. Es. caput exponendum est, quam sese deprimunt isti mortales, vt totum istud caput ad se trahant! vbi vero com. 10. cap. 49. Genes. enarrandum, quam sese efferunt! Tempore Messiae demum sceptrum ac gloriam expectant; attamen sceptrum et gloriam in comment. ad Genes. 49. caput, aliisque eorundem scriptis, praecedere videas. αἴξ ὄπω τέτοκεν, ἔριφος δ' ἐπὶ δώμασι παίζει. Hanc absurditatem qui sequantur, inuenit cum aliis Beniamin: adeo vt in mappis quibusdam geographicis, Israelitis procul in Oriente certus huiusmodi locus assignetur. Verumenimuero de his iam plura dicere supersedeo: in notis ad Beniaminem nonnulla adiicio. E dictis liquet cum iudicio legendum hoc itinerarium, nec au-

 ctori.

ctori in omnibus habendam fidem, praesertim vbi suorum conditionem ac statum extollit: plurima tamen notatu digna passim occurrunt; vt quae de locorum distantiis aliisque annotat. Quamuis nec hic exactissimam ἀκρίβειαν perpetuo agnoscam: licet non diffitear, quin scribarum culpa ac incuria numeri forte locis quibusdam corrupti fuerint, vel locorum nomina permutata, si quando literis quibusdam conuenirent. Praecipuam operam sumsisse videtur in numerandis Iudaeis, qui singulis regionibus et oppidis reperirentur; quum praestitisset in ea inquirere, quorum cognitio lectorem magis iuuisset, quam numerum Iudaeorum cognoscere qui passim deprehenderentur. Vnde liquet ad suam gentem semper collimasse, vt vel numero, vel ficto aliquo dominio Israelitas commendaret: vtpote qui vel iusto aliquo numero vbique terrarum degerent; vel etiam rempublicam aut regnum adhuc obtinerent.

Verumenimuero antequam ad ipsum itinerarium, Lector, te dimittam, quandoquidem noster in spatiorum dimensionibus frequenter milliaria, parasangas et diurna itinera siue σαθμὺς adhibet, de iis quaedam praelibanda: quo mens ac sententia Beniaminis constare queat. Parasangas continere apud Ebraeos milliaria quatuor, ex ipsorum libris obseruatum fuit; similiterque milliare bis mille cubitis ab iisdem definiri. Quo calculo parasangae spatium fuerit 8000. cubitorum: siquidem quatuor milliaria contineat. Attamen in Geographia Nubiensi non procul ab

ini-

initio, ſecus auctor grauiſſimus ſentire videtur, dum ait *Paraſanga eſt duodecim millium cubitorum, cubitus viginti quatuor digitorum.* Si Arabica paraſanga 12000. cubitos complectitur, ergo Iudaicam quatuor millibus ſuperat. Deinde paraſanga eſt quatuor milliarium; itaque ſi 12000 cubitos continet, milliare vnum erit cubitorum 3000: at alibi in notis meis ex Ebraeorum ſententia milliare duobus cubitorum millibus definiri probatur. Licet haec prima fronte admodum et quam longiſſime inter ſe diſtare videantur; cubitis tamen accuratius expenſis ſecus apparebit. Tria eſſe cubitorum genera ſatis liquet e c. 17. codicis כלים: proprie dictus tamen cubitus eſt palmorum ſex, ſiue ut auctor Nubienſis loquitur, viginti quatuor digitorum. Verum quum Ebraei milliare bis mille cubitis circum ſcribunt, cubitos maximos intelligunt, qui quadraginta digitis conſtant. Vt varia Talmudicorum et poſteriorum Rabbinorum teſtimonia linquam, collatio commatis 15 e capite tertio poſterioris Chronicorum cum com. 15. e capite ſeptimo prioris Regum ſatis ſuperque euincit, fuiſſe cubitum cubito duplo maiorem: idcirco cum nullibi cubitum deprehendamus, qui huiuſmodi exceſſu cubitum ſex palmorum ſuperet, reſtat vt cubitum quinque palmorum ita ſuperari dicamus, id eſt, cubitum quendam dari qui decem palmos complectatur, ſiue digitos quadraginta. Qua ratione vterque locus iam e Sacris citatus conciliari commodiſſime

 pot-

poteſt, ſi modo in priori loco, ſiue 2 Chron. 5, 15. ſtylobatae vnum cubitum tribuas. Itaque cum maximus cubitus pluſquam dimidio maior ſit cubito Geographiae Arabicae, quum Rabbini milliare bis mille cubitis circumſcribunt, et ex illa Geographia milliare ad tria cubitorum millia extenditur, non tanta eſt differentia, quae lectorem turbare queat. Etenim licet ex iſta comparatione milliare Rabbinicum iam etiam maius appareat, id conſiderandum, Beniaminem noſtrum tam anxie et ſcrupuloſe ſpatia non dimetiri: quemadmodum ex eo liquet, quod ſegmenta paſſim omittat, quaſi integris ferme paraſangarum et milliarium numeris loca diſtarent. Praeterea minime negligendum quod Maimonides cod. de precibus c. 15. ſect. 4. obſeruauit, *Digitus quo in tota ac vniuerſa lege metiuntur eſt magnus digitus, qui vocatur pollex manus.* Quandoquidem autem tres pollices quatuor digitos conficiunt; pollice digitus tertia ſui parte minor eſt: et hiſce conuenienter, ſi Iudaei cum lege hac in parte loquantur, ſpatia illa milliarium quodammodo conciliari poterunt. Siquidem conuenienter quantitati digitorum Ebraicorum e quibus palmi, et e palmis cubiti; tria millia cubitorum Iudaicorum conficiunt in Geographia Arab. millia quatuor. adeo vt nec inter duo millia cubitorum Iudaicorum et tria Arabicorum tam ingens ſit interuallum, quam primo videbatur. Quod enim ad digitos Geographi Nubienſis attinet,

net, ne quis maiores ſolito exiſtimet, ibi prohibet, dum loco producto ipſe addit, *Digitus ſex granorum hordei.* Ex iis quae hactenus obſeruauimus etiam conſtat, milliare Italicum mille paſſuum non admodum ab Ebraeorum מיל, palmorum numero differre. Milliare in ſe vicies mille palmos complectitur: at cubiti bis mille (ſi maximos accipias) parem numerum exhibent; ſiquidem ſinguli ſunt digitorum quadraginta, id eſt, palmorum decem. Quod ſi poſteriori conciliationi adhaereas, et Ebraeorum cubita ob pollicum quantitatem extendas, differentia inter milliare mille paſſuum et מיל Rabbinicum maior erit: vtpote quum מיל ea ratione ſedecim tantum palmorum millia exhibeat. Sed paraſangae Arabicae pars quarta (id eſt, milliare, nam paraſanga continet milliaria quatuor) propius ad milliare Italicum accedit, vt quae octodecim palmorum millia complectatur. Verum de his ſatis ad eam paraſangae et milliaris notitiam, quae in Beniaminis itinerarii diſtantiis intelligendis requiritur: ad diurna itinera pergamus. Biduo vel triduo vel pluribus diebus ſe huc vel illuc acceſſiſſe ſcribit; quandoque etiam vno vel dimidiato die: ea propter quantum ſpatium definiatur, omnino inquirendum venit. Atque non ſolum noſtro auctori hoc in more poſitum; ſed aliis etiam, vt ciuitatum aliorumque locorum diſtantias diurnis itineribus explicent: quemadmodum hoc modo apud Graecos ςαθμὸν vſurpari videas, παρὰ τὴν ςάσιν a ſtatione dictum, quia

post tantum itineris emensum eo die non progrediebantur, sed subsistebant, corpusque quieti mandabant, siue priuati iter facerent, siue exercitus locum moueret. Vnde Hesychio σαθμὸς inter alia est, *mansio castrensis.* Huius spatii dimensionem expressam apud veteres me legisse non memini: et sane non omnes aequale itineris spatium eodem die emetiebantur. Qui mari iter faciunt, longe celerius saepissime prouehuntur, quam quisquam vel vllis dromadibus assequi valeat. Multum etiam interest, num quis pedes incedat, an vero curru vel equo vehatur. Quis adhaec Alexandri M. in expeditionibus quibusdam militaribus celeritatem ac pernicitatem non obstupescat? Exempli gratia in Ariis, qui rebellabant, opprimendis tanta celeritate vsus fuit, vt Arriano teste, duobus diebus siue duobus σαθμοῖς sexcenta stadia confecerit. Quis tamen hinc cuique σαθμῷ trecenta assignabit stadia? Nec etiam salebrosa et aspera ac praerupta loca pari facilitate cum planis transiri solent. Quapropter ne hac in parte longissime aberremus, id primo expendere conuenit, quantum viae vt plurimum et communissime, non mari, sed in continenti per loca commoda homines vno die emetiri soleant: nam maritima itinera quod concernit, plusquam 100. mill. saepissime absoluunt nautae. Ideoque merito doctissimi Maronitae in praefatione Geographiae Nubiensis, ex ipso autore stationem et cursum distinguunt. *Cursus, qui cursum nauis diurnum, seu nauigationem diei, hoc est, spatium cen-*

centum millium passuum explet; statio autem est, qua diuersi terrestrem viam metiri solent. Secundo vt in statione certi quid nobis constare possit, mensuram hanc cum aliis comparatam quaerere conuenit: fit enim nonnunquam, vt duplicis mensurae simul mentionem faciant historici. Insignis in hac materia locus apud Xenophontem extat libro 2. de expeditione Cyri pag. edit. Basil. 217. *Summa autem viae, qua Epheso Ioniae oppido venerunt, vsque ad pugnam, complectitur stationes tres et nonaginta, parasangas quingentas triginta quinque, stadia sedecim millia et quinquaginta.* Hic perspicue quid σταθμὸς sit, ex adjunctis parasangis et stadiis addiscimus: vbi 93. *stationes* sunt parasangae 535. et stadia 16050. Vnde si parasangas 535. per 93. stationes diuidas, singulis stationibus quinque parasangas et paulo plus attribues: similiter si 16050. stadia per 535. parasangas diuidas, vnicuique parasangae triginta relinques stadia. Iam si parasanga est stadiorum triginta, et statio quinque parasangas continet, *statio* centum et quinquaginta stadia complectitur. Cum hoc calculo conuenit Herodotus in Terpsichore, vbi quum de itinere per Ciliciam loquitur p. 193. edit. H. S. haec habet verba, *Tres sunt stationes, parasangae autem quindecim et dimidia* vbi iterum vides lector, qui singulis stationibus quinque et amplius parasangae ascribantur. Herodotus tamen eodem loco, cum de Armenia loquitur, secus sentire videtur, vbi inquit, *Stationes quidem sunt diuersoriorum quindecim, parasangae au-*

tem quinquaginta ſex cum dimidia. Hic ſi diuiſio inſtituatur, ſingulis ſtationibus vix quatuor paraſangas attribui deprehendetur, ſi in numeris exprimendis error admiſſus non ſit. Eadem pagina ſubiungit Herodotus, *In regionem Ciſſiam tranſeunti* (ſcilicet a Mantiena) *ſunt vndecim ſtationes, paraſangae vero quadraginta duae et dimidiata ad fluuium Choaſpen.* vbi itinerum ferme quatuor paraſangae ſingulis ſtationibus aſcribuntur. At vbi Herodotus ſummam totam colligit, puta itineris longinqui quod membratim deſcripſerat, ita concludit, *Omnes hae ſtationes ſunt centum et vndecim ..... quum ſint paraſangae quadringentae quinquaginta.* vbi paraſangarum quatuor eſt ſtatio, et tanto maior, quam ſenarius numerus in centum et vndecim diuiſus. Communiorem ſtationem e dictis haurire promptum eſt, quum Xenophon et Herodotus in eo conueniant, vt ſingulis ſtathmis quinque aſſignent paraſangas. Sed e poſterioribus Herodoti teſtimoniis liquet, fuiſſe et minores ſtationes, quae ſolummodo quatuor paraſangas circiter complecterentur. quemadmodum etiam in aliis Perſarum menſuris diuerſitatem obſeruauit Plin. l. 6. c. 26. Plerumque tamen ſtationes quinque erant paraſangarum, ſiue ſtadiorum centum quinquaginta. Vnde etiam Herodotus eodem loco, de eadem via diſſerens, diurnum iter eo vſque extendit: *Centum et quinquaginta ſtadia ſingulis diebus peragrantibus conſumuntur ſolidi nonaginta dies.* Quaſi dicat, ſi quis ordinarias ſtationes 150 ſtadiorum ob-

obseruet, nonaginta diebus iter absoluet. Similiter Ebraei vnius diei iter ad centum et quinquaginta stadia extendunt: sicuti S. Iarchi ad Es. 24. 16. *Deprehenditur Hierosolyma a Iardene distare vnius diei itinere;* at distabat ad minimum 150. stad. Quia tamen istae stationes magis proprie diuersandi locum (vti etymon docet) et viae terminum spectabant, praetereaque diuersoria et pernoctandi loca ob viarum iniquitatem vel minorem commoditatem aequalibus interuallis semper distare non poterant; hinc factum, vt apud Herodotum etiam, qui 150. stadia stationibus assignauerat, postea in omnibus itineribus hic numerus non deprehendatur; sed ad 120. circiter minuatur; cum certa quadam de causa iustum diei iter absolvi nequit, puta ob viae incommoditatem vel vlterioris diuersorii longinquitatem, aliaue similia. Denique cum octo stadia milliare exhibeant, centum quinquaginta stadia nouemdecim circiter milliaria suppeditabunt. Licet eruditissimi Maronitae viginti quinque milliaribus diurnum iter definire maluerint. An vero Beniamin mensuras accurate obseruauerit, cum diebus sua itinera definiuit, merito dubitari potest: nam si hoc ipsi propositum fuisset, vt ἀκριβῶς stationibus locorum distantias dimetiretur, minora diei segmenta non praetermisisset. Vbi quis accurate locorum distantias examinabit, merito nonnulla desiderabit: adeo vt pene existimem, eum non tam ad vsitatas σταθμῶν mensuras, quam ad itineris sui tempus respexisse: vt licet ad eundem

locum vſitate vel celerius vel tardius peruenire-tur, ipſe tantum id ſpectaverit, quot diebus ſuum iter perfeciſſet: quamuis forte quieuiſſet horas aliquot, vel vltra conſuetudinem in multam nocteem iter produxiſſet. Vt p. 15. quum biduo Baetiras monte-Peſſulano diſtare ſcriberet, ordinarias ſtationes non deſignauit: nam teſte Nubienſi Geographo ipſa Narbona vix biduo a Monte-Peſſulano ſiue Monpeslier aberat, *A Narbona ad vrbem Monpeslier triginta octo milliaria*. atqui Baetirae ſunt propiores. Ita p. 17. quum ſe Arelato Maſſiliam triduo deueniſſe ſcriberet, ſi terreſtre iter deſignauit, ordinarias ſtationes intelligere non potuit: quia Maſſilia Arelato propior eſt. Nam Burgus-Aegidii tantum vno die et paulo remotius a Maſſilia diſtat; vt docet Nubienſis Geogr. *A Sancto Aegidio ad Maſſiliam ad mare ſitam viginti quinque milliaria:* at Arelatum minus a Maſſilia diſtat. ſin maritimum iter ſpectauit, ibi longius a recepta ratione deflexit: modo ea accipiamus quae ſupra de maritimi itineris menſura produxi. Sed dicam quod maxime veriſimile hic videtur: Beniaminem primum ſecundo Rodani flumine in mare deſcendiſſe; deinceps vero legendo littus tertio die Maſſiliam appuliſſe. Atque hoc modo plurima excuſari poterunt: nec etiam phraſis, qua aliquando vtitur, aliud efflagitat. Atque haec ſunt, quae vt προπαρασκευαστικὰ praemittenda cenſui. Vale.

BENE-



BENEVOLE LECTOR


Itinerarii huius nouam versionem itidem meditatum fuisse, et forte perfecisse clarissimum virum IOHANNEM DRVSIVM docet nos eius gener Abel Curiander, *Delineatione vitae operumque Drusii*; in qua inter titulos librorum ineditorum etiam hunc legimus: *Profectionum Beniamini libellus ex Ebraico in Latinum sermonem versus per I. Drusium. Eiusdemque Drusii in versionem Ariae Montani Censura.* E quibus intelligimus, ipsi quoque Drusio versionem Ariae Montani in multis parum placuisse. Absque hoc enim fuisset, neque aliam versionem neque Censuram molitus esset. Et sane

con-

conferenti cum Hebraeo facile est animaduertere, Ariam Montanum alicubi siue dormitasse, siue festinasse, atque adeo auctoris mentem minus accurate aliquando expressisse. Operae itaque precium facturi videmur, si vbi inter veterem et nouam versionem, quod sententiam attinet, discrimen alicuius momenti deprehenditur,, id hic oculis Lectoris subiiciamus; nec non vna praecipuas quasdam noui interpretis NOTAS immisceamus. Omnes autem siue versiones differentias, siue Notas non subiicimus, sed saltem, vt diximus, praecipuas. Quibus fruere benigne Lector, et salue.



Pag.



Pag. 13. lin. 6. Vertit Benedictus Arias Montanus: *descripsit omnes res, quas vel ipse conspexit, vel a probatae fidei viris accepit, easdemque in Hispania retulit.* Quorum (virorum scilicet) fama ad ipsas peruenisset Hispanias. Ita postrema verba expressit Constantinus l'Empereur.

Lin. 14. *anno nongentesimo trigesimo tertio.* Hic numerus plenus non est: sed ita scribere amant Iudaei, addendo subinde לפק, id est, לפרט קטן *secundum computum minorem.* Hoc modo omittunt millenarios integros, qui a condit mundi effluxerunt; tantumque minores numeros vltra millenarios annotant. Quibus minoribus si addideris 240, numerus exurget annorum, qui addito millenario, a nato I. Christo ad tempus quod annotatur effluxerunt. Vnde Iudaeorum calculum nostro accommodare lectores poterunt. Itaque si annos 933 hic annotatos cum 240. coniungas, apparebit hic annotari annum aerae Christianae 1173, quo anno Beniamin ad suos reuersus dicatur. Nam millenarium tum demum addere debes, si nullus e compositione numeri 240 cum numero computi Iudaeorum minoris, millenarius excrescat.

Pag. 15. lin. 1. BENEDICTVS: *ex semine Dauid recta genealogia, qui praedia et fundos habet*

habet a principibus regionis, nullius hominis vim aut impetum metuentia. CONSTANTINVS: a proſapia Dauidis in genealogia ſua denominatur, cuique ſunt poſſeſſiones et praedia, quae a dominis iſtius regionis accepta ipſi nemo vi eripere poteſt.

Lin. 17. B. *Idumaeis et Iſmaelitis.* C. Chriſtianis et Muhammedanis. Nec Idumaei, nec Iſmaelitae ponuntur hoc loco pro ſpeciali gente, vt exiſtimat nonnemo; ſed, quod in Iudaeorum ſcriptis verſato vel indicaſſe ſufficiet, אדום pro Chriſtianis, ישמעאל pro Muhammedanis, Turciſque omnibus vſurpatur: prout ex commentariis R. Iahiae in c. 11. Dan. Alſchech Pſal. 110. Abrab. Eſ. 53. 9. aliiſque patet. Itaque hic primum in genere populos diſtinguit; deinde ſpeciatim varias nationes proponit, addita etiam gente Iſraelitica. Edomaeos autem Chriſtianos eſſe volunt, vt multa quae Deus olim Edomaeis minatus eſt, in Chriſtianos deriuent. Muhammedanos autem eoſdem cum Iſmaelitis faciunt: tum quia Muhammedis genus ab Iſmaele deducitur; tum etiam quia Iſmaelitae ipſis proprie ſunt Arabes, qui Muhammedis placita primi receperunt.

Lin. 22. B. *opera Genuenſium et Piſanorum.* C. vna cum Genuenſibus et Piſanis.

Pag. 16. lin. 11. *Salomo ſacerdos.* Hic ille eſt, qui vulgo audit רש״י, id eſt, *Rabbi Salomon*

mon Iarchi (potius *Ierachi*) et ירחי quidem cognominatur ab hac ciuitate Lunel, quae a Luna nomen habet: nam haec Ebraeis ירח *Iareach.* Quanquam a patre suo secundum eandem abbreuiaturam רשי dicatur etiam R. *Salomon Isacides* ר' שלמה יצחקי: patrem enim habebat Isaacum. Obiit anno Seruatoris nostri 1105. cum discipulo suo patria Vitrensi, qui preces illas confecit, quibus contra Christianos et Romanum regnum, Deum implorant. Quia vero ille Salomon scripturam et pleraque Talmudis explicauit, ideoque magnae inter Iudaeos est autoritatis, idcirco e libro Iouchasin quaedam addere non grauabor, quibus aetas ipsius etc. magis innotescent. Quamuis de natali oppido secus sentiam, vti et nomen Iarchi suadet. Verba Iouch. haec sunt. *Magister ille pius, magnumque luminare, Doctor noster Salomon filius D. Isaaci Trecensis Gallus, ipse etiam doctrinam hausit a R. Gerschomo. Libri eius notissimi sunt: rependat ei Deus mercedem suam. Sapientes ipsum saepe vocant Parsandatha, hoc volo, interpretem legis. Hinc migrauit cum ipse, tum R. Schimha eius discipulus, qui fecit circulum, id est, librum precum ordinarium (Vitrensis erat) anno* 865. id est, I. Christi 1105. *Vixit S. Iarchi annis septuaginta quinque.* Caeterum mortis tempus euincit, Beniaminem dum Iudaeorum magistros aliosque in istis ciuitatibus, quas describit, commemorat, non tantum suo tem-

tempore viuentes recensere; sed eos quandoque qui obierant.

Lin. 25. B. *magnum consistorium.* C. celebris academia.

Lin. 27. B. *in disciplinalibus.* C. in Talmudicis.

Pag. 21. lin. 14. B. *quodam in loco.* C. ante templum imaginis Lateranensis.

Lin. 22. B. *Duorum dierum itinere.* C. quatridui.

Lin. 25. B. *pueris maxime.* C. vt regio quasi abortum faciat.

Pag. 22. lin. 18. *Propter metum Dauidis.* Quis ad tantum stuporem non obstupescat? coaetaneos facit Dauidem et Romulum, quum Romulus trecentis circiter annis post Dauidem regnare coeperit, quod in dubium vocari non potest: sed ex diuersis historicis constat, et passim a Chronologicis obseruatum, quorum verba repetere necesse non est in tanta luce. Huic parallelum est, quum Romulum talparum more in terram ac longissimas specus se recepisse finxit, siue eas metu Dauidis, qui ante aliquot secula mortem obierat, excauasse scribit. Quis ad huiusmodi non stomachetur? si nos ita aberraremus, quam superbe nobis Iudaei insultarent. Huiusmodi a lectoribus colligenda, et

Iu-

Iudaeis, quum ſuos magiſtros crepant, in os regerenda.

Pag. 23. lin. 22. B. *Apuliae regione ſic dicta a* PVL, *id eſt, fabis.* C. quae fabis abundat.

Lin. 29. B. *Tarnaam.* C. Tarne.

Pag. 24. lin. 6. B. *Miquoles deuar.* C. Michael de Bar.

Lin. 13. *nullique.* Lege, nonnullique.

Lin. 17. *Ornedo.* Otranto.

Lin. 21. *Ocropon.* Corfu.

Pag. 25. lin. 10. *in Cores.* ad Criſſam.

Lin. 11. *in monte Poras.* in monte Parnaſſo.

Lin. 20. *peritiſſimi repetitionum et diſciplinarum.* Conſtitutionum et Gemarae.

Pag. 27. lin. antepenult. *Praecipuo nomen eſt Aphrippos magnus etc.* Primo nomen eſt Praepoſitus magnus; ſecundo Μέγας δομεςικὸς ſiue Domeſticus maior: tertio Dominus; quarto Μέγας Δȣ̃κας ſiue magnus dux; quinto Οἰκονόμος μέγας.

Pag. 28. lin. 5. *Sita eſt ſuper duo brachia maris, ſiue fluminum maxima oſtia, etc.* imminet duobus maris brachiis, quorum vnum e Ruſſiae, alterum ex Hiſpaniarum mari oritur.

Pag. 29. lin. 18. *Bilbernas.* Blachernas.

Pag. 31. lin. 1. *Iudaei circiter bis mille, qui cum magiſtris congregantur etc.* bis mille Iudaei,

iique magistrorum doctrinae obseruatores רבנים; alii quoque discreti quingenti, iique קראין Karaitae: inter quos et priores sapientum discipulos est intergerinus paries.

Lin. 14. *propter coriarios.* magnum sustinet odium coriariorum.

Lin. 24. *Doroston.* Rodoston. Olim dicebatur Perinthus. Vrbs vicina Thraciae, in Propontidis littore: quemadmodum ad Hellesponti sequentis ripam sunt sequentes Gallipolis (Ptolemaeo Callipolis) et Calas (Ptolemaeo Cylla.) Quod vero aequales distantias inter Rodoston et Gallipolin, atque inter Gallipolin et Calas statuat, fidem non meretur.

Pag. 32. lin. 5. *Mitylen.* Mitylenen.

Lin. 7. *Hichan.* Chium.

Lin. 11. *Ismos.* Samos.

Lin. 19. *Dophros.* Cyprus.

Lin. 25. *Corkos.* Corucum.

Lin. 26. *Edom terrae.* Christianorum ditionis.

Pag. 33. lin. 15. *Estque munitissima vrbs ditionis dissidentium a fide nostra.* Estque totius imperii ferocium Pitiuini Papae (*Patriarchae Antiocheni, quem Sotericum Panteuchenum dictum putat Constantinus*) fidem amplectentium munitissima.

Lin.

Lin. 30. *Hheich al Haſſiſſin.* Dominum Elhaſchiſchorum.

Pag. 34. lin. 3. *Habent religionem &c.* perpetuam inter ſe fidem ſeruant ex praecepto ſenatoris ſui.

Lin. 11. *Saam.* Syriae.

Lin. 20. *Eſt ditionis Ginotinorum.* In regno ſeptem ſocietatum.

Pag. 37. lin. 4. *Ghaco.* Acco.

Lin. 9. *Fluuius Cadumim.* Torrens Orientalium.

Lin. 12. *Gad operta.* Gad nitida.

Pag. 38. lin. 21. *Moſaicae legis tantum obſeruatores.* Hi Cuthaei a Rege Aſſyriae in Canaan miſſi Nergalem ſuum colebant; ſed leonibus a Deo immiſſis, metu perculſi eo ſaltem perducebantur, vt Deum vna cum idolo ſuo colerent 2 Reg. 17. Verum euenit ſequentibus temporibus, vt relicta idololatria illa craſſiori, Dei legibus per Moſen traditis propius adhaererent. Idque tum imprimis factum opinor, cum Sanballathus Cuthaeus genero ſuo gratificaturus (qui niſi filia patri remiſſa de ſacerdotio periclitabatur, quod huiuſmodi matrimonium ſacerdotali generi probroſum et indecens haberetur) genero inquam aliud ſacerdotium paraturus, templum

in monte Gerizzim, venia ab Alexandro magno impetrata, extruxit. Nam generi societate adductus potens Sanballathus cum subditis idololatriam magis fugisse videtur. Licet Iudaei odio Cuthaeorum iis idololatriam manifestam ascribant, cod. Habodah Zarah f. 27. p. 1. *circumcidit* scilicet Cuthaeus, *in nomen montis Gerizzim.* Hoc quid sit explicat S. I. pagina praeced. cum inquit, *circumcidit in nomen imaginis columbae, quam inuenerunt in cacumine montis Gerizzim: cui cultum exhibent, vti dicitur* cap. omnes mactant, *Et circumcidunt filios suos in gratiam columbae.* Hac de re vide etiam Bartenoram c. 7. sect. 1. codicis primi Talm. Quicquid dicant, posterioribus temporibus idololatria deferbuit. Itaque legem Mosis (eamque solam) recipiebant, atque ex eius praescripto multa faciebant: nam offerebant et cultum Deo praestabant, vti hic videmus; sed ex loco quodam male intellecto in monte Gerizzim. Vnde lucem accipit Samaritanae sermo ad Iesum Ioh. 4. 20. *Patres nostri in hoc monte adorarunt.* Designabat montem hunc apud Sichem, de cuius situ noster Beniamin. Quum vero postea tribus literis eos carere scribit, id M. Scaliger contra Serarium agens improbat c. 16. *Nam ipsi*, inquit, *manu sua et totum Alphabetum nobis descripserunt, et nomina Patriarcharum iisdem literis ad nos miserunt.*

Pag.

Pag. 41. lin. 14. *Iesu Nazareni sepulcrum.* illius viri sepulcrum.

Lin. 21. *In ipsa sanctuarii antiqui loco situm.* Vehementer errat, cum templum sepulcri Domini nostri eo loco collocat, vbi Aedes sancta quondam structa fuit. Nam templum illud ab Helena in Caluariae monte, loco istius fani Veneris ab Adriano constructi, erectum fuit. Nam Adrianus pro veteri Hierosolyma nouam condens, alio quodammodo loco ac spatio ita eam construxit, vt Caluariae montem includeret. Satis ergo remote ab Aedis priscae loco, hoc templum situm est. Quum vero subiicit, Omarem filium Elcitabi in propinquo fornicem aedificasse, iam dicta confirmat. Vti enim coniicimus ex Elmacino, vbi de hoc fornice agit l. 1. histor. Sarac. cap. 3. non procul a fine; templum istud, cui fornicem adiecit, in Caluariae monte fuit: siquidem ibi vocatur *templum resurrectionis;* atqui Seruator in Caluariae monte surrexit.

Pag 42. lin. 4. *Praesepia equorum.* Stabula equorum.

Lin. 13. *Manus Absalonis.* Locus Absalonis.

Pag. 43. lin. 7. *Sepulcrorum forma adhuc decens et conspicua est.* Inibi sepulcrum, in quo aera inscripta est.

Pag. 44. lin. 5. *Auro et argento obductum.* Cui totam hanc fabellam persuadebit? Atque vt de structura hac solummodo agam, legimus quidem in Templo thesauros reconditos fuisse: ideo (l 2. Machab. c. 3.) Simeon quidam ad Apollonium thesauros indicaturus profectus Heliodorum euocauit, qui illum raperet atque ad Seleucum regem deferret: licet diuina potentia hoc impeditum fuerit. at de arcis speluncae, mensa, coronaque aurea, auro et argento, quibus palatium quoddam sepulchrale in spelunca tegeretur, nihil extat fide dignum. Similiter e sepulchro Dauidis Hyrcanus, cum aliunde non posset, pecuniam sibi congessit, quam in vsus necessarios conuerteret: quemadmodum Iosephus narrat l. 1. c. 2. *aperuit Dauidis sepulchrum, qui regum ditissimus fuerat, et ablatis plusquam tribus millibus talentis pecuniarum, cum Antiochum ab obsidione mouit, trecentis id ei persuadens talentis; tum etiam primus Iudaeorum peregrinos milites e superfluis opibus alere incoepit.* Non esse dubium existimo, quin si alicubi spelunca sceptrum mensaque aurea, et corona aurea, denique aliud quod narrat Beniamin aurum, atque argentum fuisset, Dauidis sepulcrum ingressurus non fuerit.

Pag. 47. lin. 1. *Quae Sunam.* (Schunem) *quondam vocabatur.* Quam hic errat! versatur

tur adhuc circa Hierosolyma, vt narratio euincit; at Schunem est circa Aphec et montem Gilboah, vt liquet e 1 Sam. 28, 4. et historia ibidem sequenti. Ex hoc et similibus erroribus coniecturam facite lectores, quam fidem noster mereatur. In praecedentibus multos ipsius lapsus obseruauimus: quid ab ipso expectandum, vbi minori cum reprehensionis periculo in remotioribus locis lectori imponere potest? Porro ex priori illo errore deinde promanat alter, quum Schunem ipsi tribus parasangis Schilunte distat. Sane hic error excusari nequit: nam vbi fuerit Schunem e dictis liquet; et nemo paulo in S. literis exercitatior locum Schiluntis ignorat, vt qui versus austrum a ciuitate Schunem multis parasangis procul absuerit.

Lin. 16. *Versus montem Moria.* A latere montis Moriae.

Pag. 48. lin. 24. *Docti.* Rabbanaei siue Traditionum obseruatores.

Pag. 49. lin. 6. *Vbi magna quaedam aedes est.* Vbi magnus conspicitur fons.

Pag. 54. lin. 28. *Dakia, quae quondam Chalne dicebatur, initium terrae Senaar &c.* Rakia, quae olim Calne dicebatur, ad Mesopotamiae ingressum condita, Turcarum regnum a Mesopotamia distinguens.

Pag. 55. lin. 2. *alio nomine SAGI Nebor.* Omnium celeberrimus.

Lin. 21. *Gezir Ben-Ghamar.* Insula filii Omaris.

Lin. 26. *Noë Arca.* Haec quae hoc loco ab autore nostro scribuntur, vt de sede qua arca quieuit amplius dubitemus, non sinunt: siquidem in isto montium Ararat spatio resedit, quod quatuor milliaribus ab insula filii Omaris abest; quae insula f. Omaris inter Mozalem, cis Tigrin contra antiquam Niniuen sitam, et Nisibin media, ab vtraque distat itinere bidui. Porro quum insulam istam proxime ad montes Ararat in Tigride statuit, Ararat non procul a Tigride collocat. vnde liquet Ararat esse quem Gordiaeum Ptolemaeus aliique vocant. Quod omnino confirmatur his Elmacini verbis l. 1. Historiae Saracen. c. 1. sub finem, quum ita de Heraclio, *ascendit in montem Gordi et aspexit locum arcae*, scilicet Noae, vt ibi praecedit. Itaque arca, cum in Ararat esset, erat in Gordiaeo monte.

Pag. 56. lin. 5. *Al-mutsal* vel Almozal. Haec non est ipsa Niniue; sed ab altera fluminis parte condita e regione ruderum Niniues, ita vt Tigris interfluat. Est enim ad occidentem Tigridis: vt Nubiensis Geographus sexta parte climatis quarti testatur, quum paucis verbis

bis locum deſcribit, quae percepiſſe forte iuuabit. *Mouſal eſt vrbs ad occidentem Tigridis, cui ſunt regiones amplae, et prouinciae magnae: quarum eſt regio τῆς Lenu, quae eſt vrbs antiqua, eademque ad orientem Tigridis.* Hinc iam liquet, quum hic multis regionibus dominatam teſtetur, olim merito ipſam proprios reges habuiſſe: de quibus Zacuthus in Iouchaſin cum alibi, tum f. 149. pag. 2. *Obiit Caceb Eldin filius Zingi rex Moſalis, et regnum eius loco obtinuit Siph El-din filius ipſius.*

Lin. 9. *Barhan al pelech.* Totum epitheton Arabicum eſt, et ſonat *examen ſphaerae coeleſtis.* Senſus, Ioſephum iſtum inſignem fuiſſe aſtronomum, qui in orbes coeleſtes eorumque motus inquireret.

Pag. 57. lin. 24. *Initium regni Caliphae nomine Amir Almumanim Algbabaſſi.* Metropolis eſt imperii Caliphae praefecti credentium Abaſidae.) Caliphae in politicis et eccleſiaſticis ita ſe gerebant, vt in vtroque genere per ſe quoque quae agenda erant exequerentur: adeo vt etiam conciones ſacras haberent. quod non ſolum ex Elmacino liquet; ſed etiam noſtro autore, qui pag. 61. circa finem, id ipſum enarrat. Caeterum hunc Calipham ex Abaſidis fuiſſe paulo ante narrauerat: qui Abaſidae Ommiadis ſucceſſerant, vt ex Almacino conſtat. Et

 Cali-

Caliphae cum antea alias sedes haberent, tandem Bagdadum se contulere: vnde in loca ac regiones sibi subiectas imperium exercebant. Idque absoluto dominio, donec filii Bouiae e posteris Iizdegird Persarum regis regnarent: qui Calipharum quidem successionem et seriem Bagdadi non impediuerunt; sed ea ratione ac modo, vt isti nomine tenus ferme regnarent, summa vero potestas penes Bouiae posteros remaneret. Quam historiam satis accurate Zacuthus in Iouchasin nobis reliquit. De imminuta Calipharum potestate f. 147. p. 2. ad hunc modum: *nihil relinquebatur Caliphae, nisi quod ipsi dare volebat Maaz El Doulu* e Bouiae prosapia. Et f. 152. p. 1. *initio regum Muhammedanorum venerunt reges posteri Bouiae (qui Aquilonares erant) e prosapia regis Persidis; et abstulerunt gloriam Calipharum (vti scripsimus) donec venirent hi Tatari.* Quod de Tataris subiicit, istorum Calipharum interitum spectat: nam Tatarorum regis frater Bagdadum ingressus vrbem vastauit et vltimum Calipham occidit, vt narratur sub finem folii 151. vbi de Calipharum interitu haec subiungit, *atque ab eo die et deinceps non fuit amplius Calipha Bagdadi, et praecisa fuit catena siue series Abasidarum, qui fuerant triginta quinque.*

Pag. 59, lin. 23. *Domum redeuntes a fratribus, consanguineis, vestium exosculatione excipiun-*

piuntur. Omnes etiam fratres totaque familia vestem eius *Caliphae* deosculatur.

Lin. 25. *Singulis principibus, qui Caliphae inseruiunt, singula sunt palatia.* Singuli *fratres eius* habent sua palatia in eius palatio, sed catenis ferreis vincti in singulis aedibus custodes habent, qui ne aduersus maximum regem insurgant attendunt.

Pag. 60. lin. 19. *Paschate, quod ab ipsis Ramadan dicitur.* Arabes Pascha non celebrant, vt testantur qui per annos aliquot inter ipsos in Oriente et Aphrica vixerunt: sed boues vel oues aliquando solenni ritu amicis ac pauperibus mactant, e quibus conuiuia instituuntur.

Pag. 61. lin. 20. *Turri lignea.* Suggestu ligneo.

Pag. 64. lin. 17. *Captiuitatis* siue exulum *caput.* De huius inauguratione multa dici possent, quae Zacuthus in Iouchasin enarrat: sed praecipua sunt quae ipsi antequam synagogam ingreditur praestantur; et quum in synagoga tectus retegitur; ac denique egreditur. De primo ita scribit f. 122. p. 2. *Si consentiat sententia coetus ad eum praeficiendum, congregantur duo consessuum capita* (scil. Surae et Poumpedithae) *cum assessoribus suis, omnibus coetus primatibus et senioribus, in domum magnatis alicuius in Babylonia ex seculi primariis.* et paulo

post:

poſt: *Congregantur in ſynagogam feria quinta, eique fauſta precantur, et de ipſo iuramentum praeſtant, clanguntque tuba, vt totum populum a minimo ad maximum certum faciant. Hac re intellecta ſinguli ipſi munus mittunt pro viribus et facultatibus ſuis: omnes item coetus primates ac diuites ipſi elegantes veſtes mittunt et eximia monilia, vaſa item argentea ac aurea.* et quibuſdam interiectis: *Quum vero Sabbatho, ſummo mane ſynagogam petit, magnatum plurimi ad ipſum conueniunt, vt ad ſynagogam pergant: vbi iam pridie ſuggeſtum ligneum longitudine ſeptem, latitudine trium cubitorum parauerunt, eum pulchris pannis ſericeis, hyacinthinis et purpureis ac coccineis contegentes, donec totus obtegeretur, nec eius quidquam appareret.* In quo ſuggeſtu nemo, ne quidem exulum caput initio ſedet; ſed loco inferiori latens, poſt varias demum Dei laudes certo ordine et modo peractas, in ſuggeſtum prodit. Atque de hoc ſecundo pag. ſequenti, *Prodit exulum caput e loco vbi tectus erat: eumque videntes populares in pedes erecti conſiſtunt, donec in ſuggeſtu quem ei parauerant ſedeat. Tum caput conſeſſus Sourani ſubſequens in ſuggeſtu conſidet, vbi incuruatus ſummiſſe ſalutauit ipſum, qui et reſalutat. Deinde caput conſeſſus Poumbedithani prodiens, ſimiliter ipſi ſe incuruans, ad ſiniſtram conſidet. Dum haec fiunt, totus populus in pedes ſuos inſiſtit, donec tres iſti ordine conſidendi loca occupent, et caput exulum in*

in medio constituatur, caput autem consessus Sourani ad ipsius dextram, caputque consessus Poumpedithani ad eius sinistram considat. Inter hos tamen et exulum caput locus relinquitur vacuus: et supra ipsius locum, pulchrum aulaeum super caput eius extendunt, quod supra suggestum funibus byssinis et purpureis appenditur. Denique vt ad tertium perueniamus: *Quum egreditur exulum caput, totus populus praecedens et subsequens, in eius conspectu cantica et laudes dicunt, donec ad aedes suas perueniat; sed consessuum capita non comitantur ad ipsas vsque aedes. Et omnium discipulorum qui ipsum comitantur, eidem adhaerentes ad ipsas vsque aedes, neminem aedibus suis exire permittit ante septimum diem.* Hic Iudaeorum ingenium et indolem spectate: qui cum imperio omni destituantur, externam pompam, ceremonias, splendorem et confictos ac vanos ritus sectantur; quo aliquid ex illo regio sceptro reliqui habere sibi, vel saltem aliis, persuadeant. Hinc etiam suos scholares consessus, quos in Babylonia ac alibi habebant vel etiamnum habent, synedria politica ac consessus iudiciales esse fingunt. Sed in dissertatione ad lectorem ex ipsorum etiam Iudaeorum primariorum testimoniis et ipsa experientia, fictam istam potestatem satis debellaui. Quin etiam Dauid Gans in suo Chronico distincte fatetur sub Muhammedanis eam fuisse Israelitarum conditionem, quae cum ficto sub iisdem a Beniamine ac aliis splendore non con-

consistat. Ita enim parte priori scribit, f. 52. p. 1. *Inde a diebus Muhammedanorum, exulum capita dominium non administrarunt, vti conueniebat et decebat; sed id a regibus redimebant veluti vectigalium redemptores siue publicani.* Precariam ergo habebant ipsius iudicio dignitatem quandam. Sed ne hanc quidem tantam fuisse, quae alicuius imperii esset in quo sceptrum continuaretur, iam antea probatum fuit.

Lin. vlt. *Cum magnum regem visurus* seu salutaturus *prodit.* De splendido ipsius incessu etiam Zacuthus in Iouchasin f. 123. p. 12. *Quod si egredi velit et necessaria peragere, vehitur curru secundario, curru cuiusmodi regis principes vtuntur, splendide vestitus; eumque sequuntur 15. viri cum eius seruo qui currendo subsequitur. Et quum Israelitarum aliquos praeterit, accurrunt eiusque manum prensant et conspectum reuerentur; similiterque singuli Israelitae qui praetereunt factitant: donec eum quinquaginta vel sexaginta comitentur ad locum quo tendit. Quum vero domum redit, eodem modo cum ipso agunt. nec vnquam egreditur, antequam eum totus suus comitatus sequatur: et in incessu suo regiorum principum aliquem refert.*

Pag. 65. Lin. 27. *Caput et ministrum.* Professorem et Concionatorem.

Lin. penult. *Dona et munera.* Id conuenit cum verbis Iouchasin f. 124. p. 1. vbi reditus recen-

recensentur: ac tandem subiicitur, *Summa rei est, ad eum quotannis ex illis omnibus regionibus peruenire septingentos aureos. Et si velit, ad remota loca scribit vt ei subueniant et honorarium mittant: scribit eis, inquam; et petitioni ipsius satisfaciunt.*

Pag. 67. lin. 9. *Est metropolis ipsa magna, in qua ciuitas castelli instar continetur.* (In prouincia Bagdadi ciuitas est tria patens milliaria in circuitu.) Vt Babel Hebraeis est ciuitas et prouincia siue regio cognominis; similiter Bagdad ciuitatis et regionis circumiacentis nomen est. Haec autem ciuitas condita fuit, vt antiquae veluti Babylonis loco esset; cuius ortum Elmacinus l. 1. c. 3. tam graphice nobis proponit, vt ipsius verba producenda duxerim, Anno 145. (scilicet Hegirae, id est, anno Chr. 766.) *praecepit Mansor condi ciuitatem Bagdadum, et eam fundauit eo tempore in cuius electionem consenserant astrologi. Dicitur autem fuisse pratum viride, in quo esset religiosa domus monachi cui nomen Bagdad, et ciuitatem vocatam de nomine monachi. Mansor vero eam appellauit, ciuitatem pacis. Quum iam absoluta esset structura eius, euasit firma sedes Caliphарum Abasidarum.* Haec ciuitas postea vastata fuit; ac deinde restaurata a quodam e posteris Bouiae, qui cum Caliphis regnabant: quemadmodum legimus in Iouch. f. 148. p. 1. *Atsad Eldoula restaurauit Bagdad,* *post-*

postquam vastata fuisset. Id factum circa annum Hegirae siue aerae Arabicae 366. deinde post annos complures iterum vastatam fuisse ab Halacho fratre regis Tatarorum idem Zacuthus eodem libro narrat f. 152.

Lin. 26. *Babel funditus euersa.* Hic manifeste videmus impletas illas minas, quas Dei nomine Esaias proposuit c. 13. v. 20. 21. et 22. Nam se in itinere suo vastatam Babylonem deprehendisse, testatur Beniamin: et quum dicit, homines metu a palatio Nebucadnezaris abstinere propter serpentes et scorpiones: cum aliis, tum etiam inprimis hisce Prophetiae verbis suffragatur, *Serpentes in palatiis voluptariis* v. 22.

Pag. 70. lin. 18. *Congregationis domus.* Elegantiae habitaculum.

Pag. 71. lin. 17. *Suria.* Ex iis quae subiicit de sede Aechmalotarchae et summi Praesidis, omnino Souram indigitare videtur, cuius mentio in Iouchasin f. 120. *Postquam hinc migrauit magister* (Iudas sanctus) *consessum in Babylonia instituerunt ad modum terrae Israelis. hic est consessus Sourae, in quo regnauit magister Houna annos 40. qui primus fuit eorum, qui consessuum capita fuere in Babylonia. Deinde post eum regnauit magister Hasda: cuius regnum in decem annos protractum fuit. Porro vltimis diebus magistri Hasdae, discedens Rabba filius Nahmanis, Poumbedithae consessum instituit: atque hinc et dein-*

deinceps fuit etiam consessus Poumbedithae. Nehardeae antiquitus quoque schola quaedam erecta fuit, vti passim Hebraeorum Chronologi testantur. Sed quia Sourae vel (vt noster habet) Souriae schola fuit antiquior, ideo de ipsa specialiter hoc obseruat Beniamin, ibi olim exulum capita et consessuum siue scholarum capita fixisse sedem suam, nimirum antequam sedes Bagdadum transferretur, vbi erat Beniaminis nostri seculo. Sed in superioribus verbis attende Iudaeorum vanitatem; qui e priuilegiis quibusdam, quae scholarum rectoribus concessa fuere, vt cum suis leuioris momenti negotia transigerent, scholas et consessus suos in regia tribunalia mutarunt, praefectos suos regnare dictitantes.

Pag. 72. lin. 7. *Recab filii* siue Rechabitae. Hic nobis quoddam absolutum Israelitarum imperium obtrudit; de quo satis in dissertat. ad lectorem. Sed imperitiam hominis spectate, qui patrum memor praecedentium, regionum mirabilem situm describit: idque eo collimans, vt vltra patentia et inuia deserta nobis Israelitarum regnum fabricetur, ne cui mirum videatur, quod tanti regni fama hactenus ad nos non peruenerit; cum tamen remotissimae regiones a multis peragratae fuerint. Similiter in sequentibus aliud Iudaeorum regnum vltra desertum 28 dierum iter patens describet, eandem artem adhibens.

 bens.

Pag. 79. lin. 12. *Messias piorum.* Messias noster.

Pag. 81. lin. 13. *Non enim vento fortis efficicitur vir.* nam inflato suo animo nemo praeualebit.

Pag. 82. lin. 18. *Secundum Gozen fluuium.* Quia e Media ad Persiam tendit Beniamin, et Tabrestaan ac Ispahaan versus Parthiam, meminit; hinc omnino constare autumo, Gozan fluuium esse qui Mediam et Persiam alluat. ideo etiam p. 79. Persidis rex in ripa Gozan carcerem habuisse legitur, et pag. 76. Gozan cum vrbibus Mediae coniungitur, vrbs etiam Persidis Gina ad fluuium Gozan statuitur. Quapropter vt Gozan sit Oxus, vti censet vir longe doctissimus, mihi hactenus persuadere non potui: sed omnes textus Beniaminis circumstantiae suadent, vt Mediam et Persiam influere vel alluere dicamus, idque ad latus quod Parthiam respicit: ideoque ad montes etiam Gozan non immerito quis montem Coronum retulerit. Caeterum Gozan quibusdam cum Sabbathico fluuio idem habetur: nam quemadmodum noster ad illum fluuium multorum Israelitarum dominium in sequentibus collocat; sic isto fluuio ipsos arceri quominus ad alias regiones transeant, affirmant Iudaei. Eldad Danita, libro in superioribus citato, easdem tribus, quas paulo post noster ad flumen Gozan habitare testatur, ad Sabbationem ponit; nisi quod

pro

pro Zebulone habeat Gadum: et argumentum ex Esaia petit suppeditatum sibi in Talmud. Hierosol. Saned. f. 29. col. 3. Verba Eldadi inter alia hac de re quamplurima, *Flumen Sabbation est inter ipsos* (et alios de quibus egerat) *quia de ipsis scriptum est* Esa. 49, 9. *dicendo vinctis, exite.* dixerat paulo ante, *filii hominum eos non vident.* Sensus ergo est, quatuor istas tribus ita ab aliis hominibus segregari, vt medium flumen mutuum accessum impediat: quo spectat fluminis conditio, quae dies noctesque semper transitum prohibet. *Flumen lapidibus et arena constans intonat omnibus sex diebus operariis; sed sabbatho cessat et quiescit: tum euestigio ignis circa flumen exoritur, inde a pridie sabbathi ad exitum sabbathi.* Hac ratione nunquam eo peruenire licet, nec inde egredi. Nihil ergo miri, si de isto beato Israelitarum statu nihil aliquot seculis auditum fuerit. Hisce nugis opus erat, ad praecedentes defendendas. Hinc istius de Israelitarum dominio historiae vanitas apparet. Antiqua tamen est fabula, vt videre est e Gem. Talm. Hierof. cod. Saned. 29. cap. 3. *In tria exilia missi sunt Israelitae: semel vltra flumen Sanbationem; semel ad latera Antiochiae; denique quum in ipsos descendens nubes eos inuolueret.* Caeterum Abraham Peritsol Iudaeos clausos etiam longe versus Orientem Borealem siue ortum aestiuum remouet, eosque non flumine, sed montibus conclusos dicit. Verba eius

haec c.9. Orchoth Olam: *Ad tractus orientales et India occurrit, haec est India intra Gangem, et India extra Gangem, et regnum Sericae magnum et stupendum, regio montana vbi magnae syluae, et aromata, ferae et aues peregrinae. ubi vicinae sunt duae regiones ad septentrionem descendentes, quarum nomen Scythia extra Imaum montem; inter montes longissime protractos: vbi Iudaei quamplurimi conclusi sunt, vt quidam scriptores opinantur.* Sed crebrior istorum Israelitarum in Iudaeorum scriptis mentio, qui ad Sabbationem habitare dicuntur; quemadmodum ex vtroque Talmude et Iouchasin liquet: quinetiam ex ipso illo Abraham Peritsol. Qui cap.24. Orchoth Olam situm fluminis Sabbationis plenius describit, et in India quaerit. Inter alia scribens, *Origo fluminis Sabbationis in regionibus Indiae istius superioris inter flumina Gangis.* et postea, *Fluminis Sabbationis origo est supra Kalikout* (Kalikout longe supra terminum Lamiki, quem vltra Sinum Barbaricum locat) *et distinctionem facit inter Indos istos et regni Iudaeorum terminum: ibi illud flumen certissime inuenies.* Porro ab illo flumine, quod magno strepitu aquae loco lapides versat, differt loco, conditione et substantia fluuius, cuius circa Agrippae regnum fluentis Iosephus Halos. 7. 13, his verbis meminit, *Totus a fontibus deficiens, sex diebus siccum exhibet oculis locum; postea quasi nulla facta mutatione, similis septimo die exoritur.* Cum *similis* dicitur, hoc

hoc ſibi vult autor, rapide fluere, vti ſolet ſex diebus exceptis, quibus exſiccatur, vel ſiccum alueum relinquit. Vbi ſubeſſe naturalis quaedam ratio videtur, quae veluti in febribus certas ac ſtatas motuum periodos ſeruat. Tale quid in Nubienſi legitur, ſed alio loco in Sicilia. Ita enim ſcribit parte ſecunda Climatis quarti, de fonte quodam in Xili caſtro: *Fluit tempore precum* (non quod preces expectet quandocunque fiunt; ſed, vt exiſtimo, iſtis ſtatis horis fluit, quibus Arabes communiter precari ſolent: iſta tempora fortuito concurrunt) *et areſcit extra illud tempus.* Haec mira ſunt; ſed ad iſtud figmentum Iudaeorum non accedunt, qui ex aqua lapides faciunt, et lapideum flumen nobis obtrudunt; quod certa interualla ſeruet, ne Iſraelitae concluſi elabantur. Verum de iſtis ſatis, ne cui nauſea moueatur, qui ad magis ſeria anhelat.

Pag. 83. lin. vlt. *cum finitimis filiis Chus*, ſiue Aethiopibus. Caue Aethiopiam ſub Aegypto intelligas: nam praecedentia de Oriente ſermonem eſſe docent manifeſte. Verum haec כוש illa eſt, e qua Aſſyriae rex colonos in terram Canaan miſiſſe legitur 2 Reg. 17, 24. vbi cum Babylonia coniungitur. Itaque Abrabaniel ex eo quod cum Babylone vel Babylonia coniungatur, ad hunc modum exponit, *Cuth eſt ciuitas alia in Chaldaeorum regione.* Non pro-

 cul

cul a Chaldaea fuisse facile crediderim: an ciuitas; num vero regio, in medio relinquo; similiter quia כּוּשׁ *Aethiopia* et כּוּת sono fere conueniunt (cum ת in fine vt שׁ ferme multis sonet) an Aethiopia Orientalis intelligatur, quam innuit Herodotus; vbi in haec verba scribit in Polymnia fol. ed. H. St. 258. *Aethiopibus quidem qui sunt vltra Aegyptum, et Arabibus praeerat Arsames: qui vero ab ortu solis erant Aethiopes (bifariam enim militabant) ordinati erant cum Indis.* In itinerario Eldadi כּוּשׁ pro כּוּת vsurpari non sine causa quis existimet. Nam quum Danitas, initio Ieroboami regis, cum Iudaeis pugnare detrectantes, ad remotissimam regionem discessisse fingit, haec habet verba, *Ascendebant secundum flumen Pischon proficiscentes super Camelis et castrametantes, donec ad regionem* כּוּשׁ *siue Aethiopiam peruenirent.* Quod historiam Eldadi concernit, nugatur et fabulas nobis propinat: quemadmodum interdum Beniamin, vt quum ait in sequentibus, Turcas habere duo parua foramina loco nasi. quasi vero natio illa, vnde Turcae in citeriorem Asiam profecti fuere, nos lateat; vt nobis tam facile imponere possit.

Pag. 84. lin. 2. *Cum Copher Altborech* vel Alturc. Cum Turciae paganis.

Pag. 90. lin. 28. *Excurritur, aditurque Sol.* (Mane Soli obuiam occurrunt.) Vetus haec

fuit

fuit idololatria; adeo vt Iudaeorum temporibus iam inualuerit. Imo non tantum currebant obuiam soli; sed vehebantur equis et curribus, quos in eum vsum paratos habebant. Insignis est ea de re paragraphus 2 Reg. 23, 11. *Aboleuit* (Iosias) *equos illos quos posuerant reges Iudae Soli, ab ingressu in domum Iouae .... currus autem solis combussit igni.*

Pag. 91. lin. 25. *Quem Elbotba vocant.* diuinitatem vocant.

Pag. 92. lin. 28. *A quibus tamen non videtur.* Illi deinde eum nullo modo vident.

Pag. 93. lin. 7. *Sunt qui dicant mare illud, quo iter fit, esse mare excisum siue fretum.* Maris, quo iter faciunt, nomen esse ferunt Mare concretum.

Lin. 20. *Boum coria etc.* Tam putida fabula ingenium et indolem Beniaminis nobis satis superque exprimit, adeo vt vel hinc constare queat, quam fidem in aliis multis mereatur. Non est ergo, quod R. Isaac filius Aramae autoritatem ipsius ad eludendum comma 10. capitis 49. Gen. producat, vbi argumento inde deprompto satisfacere allaborat.

Pag. 94. lin. 13. *Indiam Aethiopicam.* Indiam continentem.

Lin. 18. *Nulli gentium iugo subiecti.* Quin passim in oriente multi sint Israelitae inficias

non eo: ſed nulli gentium iugo ſubditos nego; nec id vnquam Iudaei probabunt, ea ſe conditione vrbes (vt noſter ait) ac regiones incolere, vt aliis non pareant. Porro obſerua noſtri ſtratagema: ne quis in iſta loca inquirens, falſi eum conuincere queat, per ambages et ignota nomina nos deducit (quod etiam alicubi antea in ſimili caſu fecit) quaſi hoc ad rem adſtruendam ſufficiat, ſi locus licet ignotus apponatur. Ita etiam Eden et Telaſſar vbi ſita fuerint, incertum et dubium eſt: procul in Oriente fuiſſe, eſt in confeſſo; ſed deſtinatam climatis partem aſſignare difficile. Hieroſolymitanus tamen Gen. 10. locum deſignat his verbis, *Telaſar inter Niniuen et Hariath:* vbi poſtrema vox cum Aria conuenit. fidem autem illum in Geographicis ſemper non mereri, ſatis liquere autumo: ideoque id in medio relinquo. Verum noſter quaſi perturbare lectorem ſtuduerit, regionem quoque Telaſſar cum Edene vicinam facit Lybiae: atqui Lybia in Africa reperitur, quo noſter (vt hoc addam) tam paucis etiam diebus ex remotis Indiarum inſulis remeare non potuit. Cum multa ipſum ex auditu male percepiſſe; tum nonnulla data opera et de induſtria ad gentem ſuam extollendam fingere obſeruamus.

Pag. 96. lin. 18. *Saamiin.* Syrorum.

Pag.

Pag. 97. lin. 6. *Soan regiae in vrbe Misraim constitutae.* Misraim pro vrbe accipi a Beniamine circumstantiae et verba docent. qui ergo Tsoan in ipsa Misraim sita dicitur? nam si Chaldaeo et Graecis LXX. credimus, Tsoan est Tanis.

Lin. 12. *ab Amir Almumanim Alghabazzi.* ab Imperatore fidelium Abaside.

Lin. 20. *Misraim.* Ciuitas toti regno cognominis est, eaque duplex, vt paullo inferius pag. 100. lin. 6. obseruatur: vna eaque vetus deuastata est; altera eaque noua hoc paragrapho designatur. eademque etiam Kairo dicitur, vel Kara, vt legitur f. 147. Iouchasin; *Cara est Mitsraim.* Alias etiam dicta fuit Fustaat: cuius etymologiam habes in Historia Saracenica Elmacini l. 1. cap. 3. *Mitsra* (siue Mitsraim) *est Fustaat: nominatur autem eo nomine, quia Omri tentorium ad eam figebatur, antequam Alexandriam peteret.* Quum enim ipsis post expugnatam Alexandriam reuersis, quaereretur vbi castra haberent, respondebatur. *Fustaat*, quasi dicas ad *tentorium* quod apud Misraim fixum erat, ibique ob columbam supra ipsum nidulatam remanserat. vnde postea Misraim Fustaat, id est, Tentorium dicta fuit. Paulo aliter haec narrat Nubiensis parte 3. climatis tertii. Quod vero eam muro cinctam neget Beniamin, cum Elmacini

eini verbis non conuenit: ſiquidem Elmacinus loco iam producto, *Muro cinxit Omrus filius Alaſi ciuitatem Miſram.* Longe ante Beniaminis peregrinationem.

Pag. 98. lin. 1. *In inſula quam fluuius facit.* Haec inſula duobos Nili brachiis ante Fuſtaat ſiue Miſraim cingitur: in cuius parte ſuperiore eſt ciſterna ingens, ad quam gradibus marmoreis deſcenditur. Hic (vt Nubienſis tradit part. 3. cl. 3.) *In medio ciſternae columna marmorea exſtat, in qua ſunt ſigna numerorum cubitorum, et digitorum qui iis comprehenduntur. Supra capitellum columnae ſtructura ſaxo conſtans, eaque colorata, diſtincta auro, et lapide cyaneo, colorumque generibus, iisque fabrefactis.* Summa, Nili aquam ad ciſternam (in qua eſt columna) per canalem duci; eoque nonniſi Nilo excreſcente ingredi: creſcere nilum cubitis octodecim: ſi viginti cubitis, damnum inferre: cum minus duodecim, quae vſitata et ordinaria incrementi quantitas, excreſcit, defectum annonae caritatem inferre. Vnde Beniaminem, vt alia multa, ſic menſuram duodecim cubitorum, male percepiſſe videmus.

Pag. 101. lin. 20. *Vrbs ipſa ſuper ſoli pauimentum egregie aedificata.* Vrbs ipſa eſt ſuperiori loco condita: ab inferiori parte conuexa, innitens forpicibus.

Lin.

Lin. 26. *In qua porta via facta et strata fuit ad portum ipsum Alexandriae vrbis.* Vbi aggerem ad portum Alexandriae per integrum milliare intra ipsum mare Alexander duxit.

Pag. 103. lin. 20. *Rakophiae, Cartouiae etc.* Cracouiae, Cordubae, Hispaniae, Russiae, Germaniae, Heluetiae, Daniae, Gelats, Flandriae, Hitar, Normandiae, Franciae, Pictonum, Andegauorum, Burgundiae, Mediolani, Prouinciae, Genuae, Pisarum, Aquitaniae, Aragoniae.

Pag. 107. lin. 13. *Moraina.* Morignano.

Lin. 15. *Bardin.* S. Bernardin.

Lin. 20. *Kesamburk.* Susenburk.

Lin. 27. *Komphilinas et Odrancah etc.* Coblentz, Andernach, Cub, Creutznach, Bing, Germersheim et Munster superior.

Pag. 108. lin. 18. *Quod veniat tempus cantici et vox turturis.* antequam tempus minuritionis et vox turturis adueniat. Cant. 2. v. 12. Obscuriora haec sunt: quorum hic sensus, nondum adesse Messiam; sed signa illa et indicia praesentis Messiae expectanda, quae in Cantico Cant. sponsae siue Ecclesiae proponuntur. Ibi enim ipse loquens introducitur et coetum suum excitans: quod praecedentia tempora hiberna praeterierint; iucundum vero ac florens tempus iam appareat, exorto iustitiae sole.

Vnde

Vnde noſter duo deprompſit, minuritionem et vocem turturis: quae aeſtatis iam ineuntis indicia in hunc modum conuenienter enarrat Sal. Iarchi, *Tempus minuritionis aduenit, quo aues edunt minuritionem et cantum ſuauem iis qui iter faciunt.* Vox turturis: *hic prout verba ſonant, deſignantur turtures et columbae. aues cantare et cantillare ſolent menſe Niſan*, ſiue veris initio. Hoc ergo pacto aeſtas indicatur; vel potius aeſtatis initium ſiue veris tempora. Verumenimuero cum alii nonnulli Iudaei, tum Beniamin noſter, priorem Meſſiae aduentum adumbrari exiſtimat. Hinc Rabbi Alſchech ad hunc verſum, *Etiam* vox turturis (*qui eſt Elias, vnus exploratorum qui explorarunt terram temporibus Ioſuae*) *annon audita eſt in regione noſtra Prophetae opera? ſecundum illud dictum Mal. 3, 5. Ecce ego miſſurus ſum vobis Eliam Prophetam.* Quamuis alienum ſit, Eliam inter exploratores numerari; id verum ac Chriſtianum, verba Mal. ad Meſſiae aduentum cum Euangeliſtis referenda et Eliam ſtatui Meſſiae praecurſorem. Huius ergo vocem, turturis voce a Salomone innui exiſtimat: adeoque cum noſtro facit, qui iſta aduentus Meſſiae indicia agnoſcit.

Lin. penult. *Sunt praeterea Aſtranburk, et Dauirasburk etc.* Argentoratum ſiue Straesburg, Duisburg vel potius Ausburg, Mantern, Peſin-

Pesinges vel potius Freising, Bamberg, Tsor et Regensburg.

Pag. 109. lin. 12. *a porta Pragae ad portam vsque Pin.* ad portam vsque S. Nicolai vel potius Pinego.

Lin. 20. *Prussiae.* Russiae.

Lin. 23. *Ex vrbe al Sanad.* forte regione Elsas.

Ibid. *Franciae, quae regio Sarphat ab antiquis dicebatur.* Iudaei ex praua interpretatione commatis penultimi Hobadiae, צרפת Franciam esse existimant: quandoquidem enim illic de liberatione e captiuitate agitur, et Chaldaeus illic per ספרד Hispaniam intelligit, altera voce Franciam designari posse autumant; siquidem ad vtramque regionem veluti vltimas captiuitatis in Occidente oras Israelitae commigrarunt. Attamen צרפת est vltimum terrae sanctae ad Septentrionem oppidum 1 Reg. 17, 9. Adeo vt verborum Obadiae hic sit sensus, Abrahami prolem inde a Septentrione terrae Canaan ad eiusdem Austrum vsque, regionem suam recuperaturam. Siue ita hyperbolice reditus e Babylonia describatur, quo in terram Canaan reuersi sunt; siue allegorice Ecclesiae restauratio adumbretur. Cuiusmodi figuratas formulas et Iudaei saepe agnoscunt, et orientales passim vsurparunt, ac etiamnum vsurpant. Denique

quem-

quemadmodum Iudaeus ſuae genti ex illo 30. c. Deut. poſt *conuerſionem* exoptat reſtaurationem qua in *libertamen* vindicentur; ſic illius gentis *velamen* ex Eſa. 25. 7. (vbi de Meſſiae aduentu) expendens, quo conuerſio impeditur; conuerſionis, velaminis auferendi, et libertatis aſſequendae viam his Pauli 2 Cor. 3, 16. 17. verbis oſtendo: Ἡνίκα δ᾽ ἂν ἐπιςρέψῃ πρὸς Κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα. ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐςιν· ȣ̂ δὲ τὸ πνεῦμα Κυρίȣ, ἐκεῖ ἐλευθερία. quae cum Eſa. 25, 7. quo Paulus reſpexit, conferantur.

Ἔργȣ Κύριε Ιησȣ̃.



ILLV.



ILLVSTRISSIMO
DOMINO
IOANNI OVANDO
REGIORVM CONSILIORVM INDICI, ET RATIONVM PRAESIDI SVMMO AC DIGNISSIMO,

BENED. ARIAS MONTANVS S.

Superioribus annis Tridenti agenti mihi amici cuiusdam Veneti munere libellus Hebraicus contigit Constantinopoli allatus, cuius inscriptio erat MAZZAGHOTH BENIAMIN; quem cum Martino Ayalae tunc Segobiensium Episcopo, doctissimo pariter ac piissimo viro, neque Hebraicae linguae ignaro, ostendissem, vt ad doctorum vtilitatem Latinum fa-

 cerem

cerem ſaepiſſime monitus fui, aliis etiam amicis, quibus libelli argumentum ſignificaui, idem efflagitantibus; quorum tamen deſiderio illo tempore, quod aliis curis intentus eſſem, ſatisfacere non potui. Cum vero in hac diuturna mea peregrinatione horas aliquot mihi ad litterarum ſtudia, quas poteram, a ceteris occupationibus ſaltem nocturno tempore ſuffurarer, inter alia opuſcula; quae meis lucubrationibus expoſui; libellum etiam hunc Latine vertendum duxi: quem legentibus pretium operae facturum ſperabam propter multam et iucundam regionum et rerum orbis notitiam, quam allaturum intelligo. Eum autem cum primum in manibus Latine reddendum accepiſſem; illuſtriſſimae amplitudini tuae dedicare conſtitui, non ingratum fore ſperans viro omnium artium ſtu-

dio-


dioſiſſimo, et propter ſummam eruditionem ac dexteritatem cum eximia nobilitate coniunctam iſtis quibus fungeris miniſteriis per prudentiſſimum regem noſtrum praefecto. Cui cum inter cetera munia illud etiam praeclariſſimum demandatum ſit ſupremae cognitionis et gubernationis rerum omnium, quae regnis ac ditionibus per totum Oceanum ad Regem noſtrum pertinentibus continentur; atque ad hanc curam prudenter atque ſapienter ſuſtinendam geographiae commodiſſima cognitio comparata tibi antea attento ſtudio conſtiterit: eam quoque terrarum orbis faciem, quam auctor hic ſua tempeſtate obſeruatam depinxit, cognitu non iniucundam fore certo ſcio; praecipue cum breuis libelli lectio ſit, et qua maximarum rerum amplitudinis tuae induſtria ac diligentia curandarum

 mo-

moles non poſſit augeri; labor vero nonnihil recreari poſſit; niſi me opinio fallit, atque animus meus tam multis annis tibi deuinctiſſimus, quem vt tibi vir ampliſſime perſpectiſſimum eſſe exiſtimo, ita omni aetati noſtrae et futuris etiam ſaeculis (ſi tantum induſtriae meae exigui fructus durare poſſunt) volui eſſe quam teſtatiſſimum. Vale, et Ariam tuum ſalutari Deo commenda. Antuerpiae Idibus Octobris M D LXXIIII.



IN



IN ITINERARIVM BENIAMINI

PRAEFATIO.

Singulari quodam Dei munere Hispanorum genti tributum esse arbitror, vt terrarum orbem, remotissimasque maris ac terrae vias omnium mortalium audacissime et felicissime percurrant; nullisque temporum locorumue periculis aut difficultatibus deterriti ab incepto vmquam, nisi vel voto vel vitae peracto cursu, desistant: atque ii qui postremas orbis partes habitare censentur, tamen se in ipso medio terrarum loco esse existimantes, tamquam totius mundi ciues nullum non adeant et penetrent locum, nullibi non versentur, nulla hominum ceterorum commercia non frequentent. Nam praeterquam quod hoc nostro saeculo Europa fere omnis Hispanis vel militibus, vel mercatoribus, vel auli-

aulicis viris principibus et principum ministris, vel studiosis litterarum referta est, multique in Asia, plurimi in Africa negotia habent; antiquis etiam Graecorum, Carthaginiensium atque Romanorum temporibus nulla in expeditione, ex iis quae memorabiles habentur, Hispanum militem defuisse constat: quod natio haec ad ferendos labores, pericula obeunda, resque gerendas perpetuo strenua atque apta sit, moribus et ingeniis polleat temperatioribus, et ad omnium populorum consuetudinem vel excipiendam et fouendam, si aequiorem experiatur; sin vero duriorem, vel ferendam vel tolerandam apprime aptis: deinde etiam videndarum et cognoscendarum studio rerum, ut si quae alia, maxime ducatur; quae omnia aptos homines ac promptos, atque ad peregrinandum impigros reddunt. His etiam illud accedit, quod cum varii vario euentu aliorum regiones adeant et frequentent; Hispani fere omnes praeter ceteros mortales peregrinationibus maxime excoluntur: adeo ut inter hos ii, qui sua, in quibus nati sunt, loca non excesserint, quamquam pii atque boni sint; rudiores tamen et ad gerendas res minus idonei plerumque

que

que videantur. Adiuuantur profecto multi ex his lectione et consuetudine eorum, qui multa vel viderunt vel audierunt aut legerunt: sed dici vix potest, quanto discrimine referat inter eos, qui solo priuatae vitae vsu, atque eos, qui itineribus faciendis docti instructique euasere.

His omnibus de caussis illud euenisse arbitror, quod magno diuinae prouidentiae atque indulgentiae argumento, admirabilique beneficio nostra aetate, atque adeo recenti adhuc viuentium hominum memoria Hispaniae regibus est concessum, vt nostrorum hominum opera remotissimae, atque multis antea saeculis apud Graecos et Latinos ignotissimae prouinciae illae, quas Americas, Peru et nouam Hispaniam vocant, aperirentur, et illarum incolae atque indigenae ad humanorum morum, nostraeque consuetudinis, atque ad id quod maximi faciendum est, hoc est ad Christianae religionis communionem conciliarentur. ad quam efficiendam rem nullus vmquam tantus labor suscipi potuit, vt fructui, qui ex euentu percipitur, par esset. Iam vero Lusitanos, qui et ipsi Hispani sunt, et religionis cultores obseruantissimi, rerumque publicarum studiosissimi

 haben-

habentur; magnam huius laudis partem obtinere nulli hodie totius orbis genti ignotum est: quippe quos longissima nauigatione per Atlanticum, Aethiopicum et Indicum Oceanum instituta, bellis aduersum Christianae fidei hostes feliciter gestis, Orientis totius continentem oram ad Synarum usque regionem cum insulis omnibus interiectis, partim virtute bellica subegisse, partim vero commerciorum et collatorum beneficiorum consuetudine, sibi atque Christianis omnibus, qui occidentaliores regiones incolunt, associasse manifestum est. Quisnam vero apertarum terrarum fructus mortalibus contingere soleat, praeterquam quod res usus que indicat, in Geographia sacra abunde est a nobis demonstratum. Huiusmodi vero varias orbis regiones visendi et cognoscendi studium Hispanis hominibus fuisse, argumento est Pomponii Melae Baetici doctissimus liber De situ orbis inscriptus; cui vel descriptionum elegantia, vel breuitate atque perspicuitate, vel ipsa rerum commemoratione et copia nullus eiusdem artis, quamuis copiosus atque eloquens auctor, mea quidem sententia, est anteponendus. Sed illud maxime hanc Hispanorum propensionem,

nem, diligentiam et felicitatem probat, quod ex Iudaeis etiam (quod hominum genus postquam a Deo repulsum inter ceteros mortales perinde atque captiuum versatur, ad huiusmodi labores timidius, ineptius atque segnius esse solet) nonnulli etiam in Hispania nati et educati hac etiam parte audaciores, flagrantioresque extiterint, idque non sine felici exitu tentauerint: inter quos praeter Mosen Nahamani filium Gerundensem doctum virum, vnus quoque Abrahamus Esdrae filius Toletanus, homo philosophus ac medicus eruditissimus, sacrorumque librorum sua lingua commentator illustris, fuit; a quo alii atque alii qui editi sunt libri, in aliis atque aliis terrae prouinciis vel maris insulis conscripti fuisse indicantur. Verum omnium qui de hoc genere scriptum aliquid reliquerunt, praestantissimum et locupletissimum non solum auctorem, sed etiam testem et inspectorem Benjaminum Tudelensem ex ea Cantabriae parte, quae nunc Nauarra vocatur, virum Iudaeum fuisse, liber ab eodem compositus aperte declarat; ostenditque neminem umquam ex Graecis aut Latinis Geographis exstitisse, qui continuato labore

 et


et ſtudio tantum itineris inierit et confecerit; huic quippe homini totum fere terrarum orbem, praeter nunc recens repertas Oceani occidui prouincias, adire et perluſtrare, vel ſaltem totum hoc noſtrum hemiſphaerium peragrare, et peragratum deſcribere contigit. Ille enim Iſraelitas omnes, qui per cunctas fere regiones diſperſi ſunt, viſendi ſtudio ex Hiſpania ante annos vnum et quadringentos profectus, Galliam, Italiam, Graeciam, Macedoniam, Aegei maris inſulas, Phrygiam, Pamphiliam, Armeniam, Aſiamque omnem minorem, vtramque Syriam, Palaeſtinam et Damaſcenam, Chaldaeam regionem, Arabiam, Perſiden et Indiam ad Sinas vſque. Deinde Indici oceani inſulas, Aethiopiam eam, quae vltra Aegyptum eſt, Aegyptum, Arabiae ſolitudines, Siciliam, Germaniam et Bohemiam atque Pruſiam notatis itineribus dimenſus peragrauit; peregrinationemque ſuam adeo breuiter atque dilucide deſcripſit, vt nulli ex antiquis vel arte cedere debeat, vel labore non anteponi iure poſſit. Additis iis omnibus quae in locorum vel hominum obſeruatione commemoranda videbantur; atque fabularum ab hiſtoriis non indocte no-

tato

tato discrimine cum opportuna significatione variae atque antiquae lectionis iuxta singulorum locorum commoditatem obseruatae: quae cum in aliis libris, tum praecipue in sacris scriptis explicandis non vulgari vsui esse possit. Quod si totum opus, vt ab auctore ipso conscriptum est, nobis contigisset, longe plura, quae ad variam naturae rerum cognitionem facerent, eaque plenius et melius quam in hac epitome sunt descripta, haberentur, quae nunc breue hoc tantum opusculum nactis desiderari necesse est: sed huiusmodi iacturarum exempla iam frequenti incommodo conspiciuntur apud historicos aliosque auctores, quorum opera cum magno posteritatis damno a quibusdam in compendium sunt redacta. Sic Iustinus, sic Florus, alter Trogi Pompeii libros omnes, alter T. Liuii magnam partem, dum in breue cogere studerent, e manibus hominum prorsus abstulerunt: quo fit vt plus inuidiae quam compendii huiusmodi abbreuiatorum diligentia lectoribus et veri cognoscendi cupidis afferat. Audio autem huius Beniamini integrum opus in Aegypto apud Iudaeos Alexandriae agentes conseruari; cuius exempli copiam vel

prin-

principis alicuius liberalitate, vel studiosi cuiusspiam cura in publicum usum aliquando nobis fieri percupimus, non dubitaturi interpretandi laborem subire, si nostrae id fuerit facultatis; sin minus, non deerunt bona ingenia ad iuuandos mortales nata, quae id plenius atque melius, quam nos, praestent. Nobis tamen quoad vita diuino beneficio suppetierit, quidquid opportuni temporis nancisci contigerit, ad piorum et studiosorum hominum utilitatem in bonis litteris, maxime vero in sacris studiis pro ingenii nostri tenuitate excolendis ponere, vota nostra Deo probante, certum consilium est.



PERE-



PEREGRINATIO BENIAMINI FILII IONAE IVDAEI.



Epitome narrationum Beniamini filii Ionae Tudelenſis, ex Nauarrae ſiue Cantabriae prouincia, qui contente ſuſcepto itinere plurimis et remotiſſimis peragratis regionibus eas res omnes deſcripſit, quas vel ipſe conſpexit, vel a probatae fidei viris accepit; eaſdemque in Hiſpania retulit. neque ſolum res huiuſmodi commemorauit, ſed maximam etiam partem magnorum ac principum virorum (Iſraelitarum) qui in ſingulis locis ab ipſo perluſtratis morabantur. Haec omnia demum ipſe in Caſtellae regionem reuerſus populo ſuo narrauit, anno nongenteſimo trigeſimo tertio. Ab orbe condito 4933.

Fuit vero Beniamin narrationis huius auctor vir prudens et ingenioſus, legis et conſue- Nunc agitur 5334.

ſuetudinum peritus, verique amantiſſimus; adeo vt quaecunque dixerit, poſtea diligenter examinata et explorata conſtantem fidem fuerint promerita. cuius verborum initium ſic habet.

DIXIT Beniamin filius Ionae probandae memoriae: Ex Caeſar-Auguſta vrbe initio profectus, ſecundum Iberi fluminis ductum Tortoſam veni; indeque Tarraconam petii antiquam vrbem a filiis Enac et a Graecis aedificatam; cuius constructionis par elegantia in nullis aliis Hiſpaniae regionibus inuenitur. adiacet autem vrbs ipſa mari. Inde vero duorum dierum itinere Barchinoniam ingreſſus fui, in qua Synagoga ſacra eſt ſapientibus ac prudentibus frequens, et magnatibus etiam ornata, inter quos Magiſtri Seſeth et Sealthiel et Selomo filius Abraham filii Hhazzidai felicis memoriae. Eſt autem parua, ſed elegans vrbs ad ipſum maris littus ſita, variis negotiatoribus ex omni regione eo confluentibus celebre emporium Graecis, Piſanis, Genuenſibus, Siculis, Aegyptiis, Alexandrinis, et ex terra Iſrael, omnibuſque finibus illius. Inde vero profectus itinere ſeſquidiei Gerundam veni; in qua Synagoga parua eſt Iudaeorum. Illinc trium dierum itinere Narbonam, quae vrbs legis anteſignana eſt: ex ea enim proficiſcitur lex in omnes regiones; vbi ſapientes ſunt et magni et ſuſpiciendi, in primis Kalonymos, filius magni ac ſuſpiciendi Theo-

Caeſar-Auguſta. Tortoſa. Tarracona. Barchinonia. Gerunda. Narbona.

Theodori bonae memoriae, ex semine Dauid recta genealogia, qui praedia et fundos habet a principibus regionis, nullius hominis vim aut impetum metuentia. Est etiam in primis Abraham Synedrii caput, et Machir, et Iehuda, et alii his pares sapientum discipuli. suntque hodie in ea Iudaei trecenti fere. Inde vero leucis quatuor in vrbem Bidrasch, in qua vniuersitas est sapientum discipulis culta; quorum capita sunt Selomoh Hhalpetha, et Ioseph filius Nathanael bonae memoriae. Inde vero duorum dierum itinere facto in Tremulum montem, qui Pessulanus olim, ab incolis nunc Mompelier vocatur, vrbem negotiationi et mercaturae opportunam, a mari leucis duabus dissitam, a variis nationibus commerciorum caussa frequentatam, Idumaeis et Ismaelitis ex Algarba, Longobardis, et ex magnae Romae regno, atque ex omni terra Aegypti et Israelis, ex omni regione Galliae et Hispaniae et Angliae; atque ex omnibus gentium linguis ibidem inueniuntur opera Genuensium et Pisanorum. Sapientum quoque discipuli ibidem sunt haec aetate percelebres, in primis Reuben Theodori filius, et Nathan Zachariae filius, et omnium praecipuus Semuel, et Selamias, et Mardochaeus, qui iam vita defunctus est. Nonnulli inter illos ditissimi sunt et liberales in pauperes; qui cunctis ad se venientibus subsidium ferunt. Inde parasangis quatuor est Lunel insignis vniuer-

forte Besiere.

Montis Pessulani celebritas.

Lunel.

uersitas Israelitarum legis studio die nocteque vacantium, vbi magnus ille magister Messulam felicis recordationis tunc erat cum quinque sapientibus et diuitibus filiis Ioseph, Isaac, Iacob et Aharon, atque Asser Pharisaeus, qui separatus ab oculis mundi noctu diuque libris incumbit, ieiunans, et carnium esu perpetuo abstinens; idemque in antiquorum sententiis ac traditionibus apprime versatus, et magnus Moses Nisus, et Samuel senex, et Salomo sacerdos, et magister Iudas Medicus filius Thebonis Hispani. quicumque vero legis addiscendae caussa e remotis regionibus veniunt, ab his excepti aluntur et docentur beneficio vniuersitatis, quae victum et vestitum illis suppeditat, quamdiu in scholis versari contingat. Sunt autem viri sapientes et praeceptorum obseruatores, prompti ad subsidium afferendum cunctis fratribus suis tam remotis quam proximis. est autem ibidem Iudaeorum synagoga fere trecentorum. distat vero a mari altero miliari. Illinc autem quatuor post leucas Pothiaquiers est magnum castrum, in quo quadraginta fere Iudaei sunt, et magnum consistorium apud Abrahamum filium Dauidis felicis famae, virum officiosum, et tum in disciplinalibus, tum etiam in sacris libris apprime doctum, quem e remotis locis legis addiscendae caussa complures adeunt; in ipsiusque domo humanissime excepti docentur: et si quibus sumtus faciendi

copia

copia deest, ipse liberaliter in omnem vsum ex sua pecunia erogat; est enim valde diues. sunt praeterea illic docti viri alii, vt Ioseph filius Menahhem et Benbeneseth et Beniamin et Abraham et Isaac filius Mosis laudabilis memoriae. Inde ad quartam leucam Nogheres oppidum dictum Burgum Sancti Aegidii, vbi vniuersitas est Iudaeorum fere centum sapientum, quorum antesignani sunt Isaac Iacobi filius, et Abraham filius Iudae, et Eliezer et Isaac, et Moses, et Iacob filius magni magistri Leui optimae memoriae: distat hoc oppidum tribus miliaribus a mari; situmque est iuxta flumen magnum cui nomen Rhodano, quod vniuersam regionem eam, quae Prouincia dicitur, praeterfluit: ibidem vero praecipue nobilis ac suspiciendus est Abba filius Isaac probandae memoriae praefectus a principe Domino. Inde post quatuor leucas Arelatum vrbem veni, vbi fere ducenti Israelitae sunt, inter quos praecipui sunt Moses, Tobias, et Isaias, et Selomoh, et Nathan magnificus, et magister Abba Meri celebris vir. Inde vero tribus itineribus Massiliam deductus sum, vrbem eximiis et sapientibus viris illustrem, duobus collegiis insignem Iudaeorum fere trecentorum. ex collegiis alterum maris littori adiacet inferius, cui tamquam turris quaedam imminet, alterum in editiore loco situm: estque apud illos magnum consistorium discipulis sapientum cultum, Si-

Arelatum.

Massilia.

 mo-

mone filio Antolii, et eiusdem fratre Iacobo et Lebaaro, qui primores in superiori collegio habentur: in inferiore vero, Iaacob Pirpsienus diues, et Abraham, et Mair, huiusque gener Isaac, et alter Mair. Est autem vrbs haec commerciis valde celebris in maris littore; ex qua nauigio conscenso quatuor dierum nauigatione Genuam venitur, vrbem maritimam, in qua erant duo Iudaei fratres, Samuel filius Calaam, et frater huius ex Sephta Africae vrbe, viri boni. est autem vrbs muris cincta, nulli regi suddita, sed a magistratu gubernata, qui ciuium voluntate et suffragio constituitur. sunt autem in singulis horum domibus singulae turres constructae; inter quos si aliquando dissidium accidit, e turribus illis pugnatur. Sunt Genuenses in mari potentes, vtunturque triremibus, quas galeras vocant; hisque varia hostilia loca inuadentes exspoliant, captasque praedas domum asportant, bellum autem cum Pisanis gerunt. Distant vero a Genua Pisae duorum dierum itinere, ingens vrbs, in cuius domibus fere decem mille turres numerantur ad pugnandum aptae et instructae, si quando dissidium aut pugnae necessitas exstat. ciues ipsi omnes strenui, neque regi neque principi alicui parentes, sed magistratui ab ipsis creato. Erant autem hic Iudaei fere viginti, in quibus primi Moses et Hhaiim et Ioseph. vrbs ipsa muris non est munita; distatque a mari

Genua

Pisa.

mari quatuor miliaribus, in quod nauigiis descenditur per fluuium qui regionem ipsam mediam perlabitur; vrbemque intrat. Inde quatuor post leucas Luca est magna vrbs, in qua Iudaeos quadraginta fere inueni; atque in his praecipuos Dauid, Samuel et Iacob magistros doctos viros. Inde sex dierum iter Romam vsque est, maximam olim vrbem gentiumque imperii caput. Ibique erant Iudaei ducenti fere honesti viri, nulli mortalium tributum pendentes; ex quibus aliqui Alexandri Papae ministri sunt Pontificis maximi totius religionis Christianae. erant autem ibidem doctissimi viri, in primisque Dauid Magnus, et Iehiel Papae minister, iuuenis elegans et prudens, frequens in domo ipsius, vtpote domus et vniuersae rei familiaris praefectus. Estque nepos Nathan auctoris libri et commentariorum Aaruch. sunt etiam Ioab filius Magni Selomonis et Menahem synedrii caput, et Iehhiel habitans trans Tiberim, et Beniamin filius Sabthi bonae memoriae. Est autem bipertita vrbs ipsa Roma, quam Tiberis fluuius interfluit. In priori autem parte fanum maximum est, Romanum Capitolium dictum, apud quod magni Iulii Caesaris domus fuit. Sunt praeterea aedificia maxima et opera admiranda vltra cetera quae in toto terrarum orbe inueniri possunt. continet vero spatium vrbs ipsa, cultam partem cum excisa et inhabitata

Luca.

Roma.

Alexander 3. P. M. tempore Frederici Barbarossae.

Auctor libri Aruch.

coniungas, milliaria quatuor et viginti. Suntque in ea octoginta palatia Regum octoginta a Tarquini regno vsque ad regnum Pipini, patris Caroli illius, qui Hispaniam ab Ismaelitis occupatam initio expugnauit. Titi vero palatium extra Romam est; qui a trecentis senatoribus exceptus non fuit; eo quod in Ierosolymae obsidione triennium consumpsisset, vnum videlicet annum vltra praescriptum. ibidemque est pars aedis, palatii videlicet Vespasiani, maximae et firmissimae structurae. Est praeterea palatium regis Malgalbini, trecenta ac sexaginta palatiola continens ex dierum anni numero; illiusque ambitus, quantum ex ruinis metiri licet, trium passuum millia continet. Fuit autem quondam in illo eodem palatio commissa pugna, in qua cecidere viri numero plures quam centum mille; quorum ossa ad hodiernum vsque diem in aceruum congesta visuntur. Insculpsit autem Imperator pugnae illius simulacrum in omnibus aedium lateribus marmoreo lapide, factionibus oppositis innumeris hominum, equorum et armorum, apparatusque bellici imaginibus, vt antiquorum bellorum monumentum posteritati mirandum relinqueret. eodem loco inuentus est aedificii ordo terrae solo inferior; in quo reperti sunt Imperator, et illius vxor Augusta in soliis compositi, et centum fere alii homines impe-

Harum ruinarum plurimae sunt iam omnino vastatae ad materiae vsum in alia aedificia.

Non satis mihi constat, quis hic dicatur Malgalbinus. Galbinum fortasse aut Galienum dixit auctor; sed vitio scriptorum corruptum esse nomen.

imperii ministri; omnes arte medica concinnati, vsque in hodiernum diem.

Inuentaeque sunt in phano columnae duae aereae, Salomonis regis opus, illa inscriptione in vtraque incisa Hebraice, SALOMO FILIVS DAVID. Dictum est autem mihi a Iudaeis Romae agentibus singulis annis nona mensis Ab columnas illas sudorem aquae similem stillare. Est etiam ibi crypta, in qua Titus sanctuarii vasa Ierosolymis allata abscondisse dicitur. Est etiam crypta altera iuxta Tiberis fluuii ripam, in qua sepulti sunt decem iusti occisi regni (delendi caussa.) Vidi etiam quodam in loco Samsonis simulacrum lapideum, globum in manu tenens, et Absalonis filii Dauid, et Constantini illius magni, qui Constantinae a se constructae nomen Constantinopolis dedit. Statua equestris ibidem est ex aere inaurata. Sunt praeterea structurae et opera alia, atque monumenta Romae quae nemo hominum enumerare possit. Roma profectus Capuam duorum dierum itinere veni, magnam quondam a Capi rege, vt ferunt, conditam, pulchram vrbem, improbandis tamen aquis, ideoque insalubrem pueris maxime: in qua trecenti fere Iudaei erant, et in iis sapientissimi nonnulli et percelebres: praecipui vero erant Compassus et Samuel fratres; et Zaken magnus, et Dauid celebris vir, quem principem nostrum alii appellant. Inde autem Puteolos Surrentum olim

Capua. Puteoli.

Surentum. olim dictam magnam vrbem, quam Sinsan Hadar-Ghezer condidit, Dauidis regis metu fugatus; in eumque deuectus locum: inundatione vero maris populus illius duabus vrbis partibus obrutus demersusque est. hodieque visuntur turres et fora in aquis demersa, quae in media vrbe quondam fuerant. Eodem autem loco fons scaturit, in quo bitu-

Petroleum. men inuenitur, Petroleum vulgo dictum, quod ex aquis, quibus innatat, collectum ad medicinae vsus reponitur. Sunt etiam illic thermae natiuae aquis medicatissimis, quae a variis aegrotantibus salubri vsu petuntur; maxime vero a Longobardis, qui aestiuo tempore remedii quaerendi caussa eo veniunt. Illinc profectis quindecim miliarium via sub montibus conficitur; estque opus a Romulo Romanorum primo rege factum propter metum Dauidis regis Israel, et Ioab Dauidici exercitus ducis summi. idem etiam struxit opus in montibus et sub montibus, vbi

Neapolis. nunc Neapolis est, illustris vrbs et munitissima ad mare sita, a Graecis aedificata. illic habitant Iudaei quingenti fere, in quibus praecipue celebres sunt, Ezechias, et Salum, et Elias sacerdos, et Isaac de monte Hor.

Salernum. Inde vnius diei itinere Salernum deuectus sum, vrbem medicorum scholis illustrem; in qua Iudaei fere sexcenti erant, in his vero eruditione insignes Iudas Isaaci filius, et Melchisedek magnus vir ex Siponto vrbe, et Salomo

lomo ſacerdos, et Elias Graecus, et Abraham Narbonenſis, et Thimon. Vrbs ipſa a continentis parte murorum opere munita eſt; altera parte maris littori adiacet, turrimque habet in montis cacumine firmiſſimam. Inde vero dimidii diei itinere Malfi eſt, in qua Iudaei viginti fere erant, in hiſque praecipui Hhananeel medicus, et Eliſeus et Abuel magnificus. regionis illius incolae omnes negotiis vacant et mercaturae, ab agri ſerendi cura alieni, empta annona viuunt, eo quod in montibus altiſſimis in ipſis rupium culminibus habitent: abundant tamen aliis fructibus, vinetis, oliuetis, hortis et pomoeriis; omnibus aliis hominibus propter loci ſitum inexpugnabiles. Inde vero diei vnius itinere Beneuentum diſtat, magna vrbs, in maris littore partim, partim vero in monte ſita. ibique vniuerſitas eſt Iudaeorum fere ducentorum, horumque praecipui Colonymus et Zerah et Abraham celebres viri. illinc dierum duorum itinere in Malchi Apuliae regione, ſic dicta a PVL, i. fabis; vbi Iudaei fere ducenti erant; quorum primores Ahhimaghats, et Nathan et Saddoq. Inde vero itinere vnico Aeſculum veni, vbi quadraginta circiter Iudaeos inueni, in iiſque optimates Contilum et Tſemahh generum eius et Ioſephum. Inde duobus itineribus Tarnaam in maris littore ſitam, quo loci qui Ieroſolymam religionis cauſſa petunt, congregari ſolent vtpote in por-

Malfi. Beneuentum. Malchi. Aeſculum.

portum ad illam nauigationem commodissimum. Erat autem ibidem vniuersitas Israelitarum circiter ducentorum, atque in his praestantissimi Elias et Nathan concionator et Iacob. vrbs ipsa magna atque elegans est. Illinc vnius diei itinere est Miquoles deuar, quae ciuitas magna a Gulielmo Siciliae rege diruta fuit. estque non solum Israelitis, sed etiam propriis gentibus vacua, omninoque vastata.

Tarentum. Inde Tarentum dimidio itinere veni, quae ditionis Calabriae initium est, a Graecis habitatae; vrbem magnam, in qua trecenti fere Iudaei sunt, nullique ex illis docti, in primis Maali et Nathan et Israel. Hinc vno itinere

Barnedis. Barnedis in maris littore aedificatam, vbi Iudaei decem sunt infectores lanarum. Vnde

Ornedo. duobus itineribus Ornedo distat, ad mare sita, Graecorum regionis; ibique quingenti circiter Iudaei sunt, quorum praecipui Menahem, Caleb, Mair, Maali. illinc naui con-

Ocropos. scensa duobus diebus Ocropon deuectus fui, vbi Iudaeus vnicus erat Ioseph nomine; atque hactenus Siciliae regnum est. Illinc na-

Lebta. Emanuelis regis Graecorum initium. uigatione duorum dierum in Lebtan oppidum, quod regni Emanuelis Graeci initium est; ibique Iudaeos circiter centum inueni, quorum capita Selahhias et Ercules sunt. Inde duobus itineribus Achilon, vbi decem fere

Achilon. Iudaei, quorum praecipuus est Sabthi. Hinc

Natolicon. dimidio itinere in Natolicon in ostio maris

Patra. sitam. Hinc Patran vno itinere per mare deue-

deueni, vrbem Antipatri Graecorum regis vnius ex quatuor, inter quos Alexandri vita defuncti regnum eſt diuiſum: viſunturque illic antiqua aedificia maxima. ibidem Iudaei quinquaginta fere, in iiſque primi Iſaac, Iacob et Samuel. Inde per mare dimidio die in Lepantum veni, vbi Iudaei centum circiter iuxta mare habitant, quos anteeunt Gazarias, et Salum, et Abraham. Inde ſeſqui diei itinere in Cores, vbi Iudaei habitant ducenti fere, in monte Poras propria habentes praedia, quae ipſi colunt: intuſque primi ſunt Selomoh, Hhaiim, et Iedaia. Inde trium dierum itinere Corinthum veni; trecentoſque offendi Iudaeos, quorum anteſignani ſunt Leo, Iacob, et Ezechias. Tertio inde itinere Thebas vrbem illam magnam, vbi bis mille Iudaei ſunt artifices optimi purpurae et coccini in Graeciae regionibus: apud quos doctiſſimi viri ſunt, peritiſſimique repetitionum et diſciplinarum, huius aetatis maximi, inter quos magnus ille magiſter Aaron Cutaeus, et huius frater Moſes, et Hhaiah, et Elias Thirthinus, et Iectan; quibus nulli in omni Graecia pares ſunt, praeterquam Conſtantinopoli. Inde itinere vnico Argyropum ad mare ſitam vrbem magnam, et magno ex omnibus regionibus mercatorum numero frequentatam: ſuntque illic Iudaei quaſi centum, praecipuique inter hos Elias Paſſeterius, et Emanuel, et Caleb. Hinc iter vnum eſt ad Iabuſte-

Antipater rex.

Lepantum.

Cores.

Poras mons.

Corinthus.

Thebae.

Argyropum.

Iabuſteriſa.

busterisam maritimam vrbem, in qua Iudaei centum fere, Ioseph et Samuel et Nathania primariis. Inde Robinca vnico itinere distat; vbi iudaei centum fere, quibus praeerant Ioseph, Eliezer, et Isaac. Illinc vnius diei itinere in Sinon Potamon, vbi Iudaei fere quinquaginta; quorum praecipui Salomo et Iacob. Estque initium Balachiae: cuius incolae in montibus habitant, Balachi dicti, celeritate ceruis pares, qui e montibus descendentes praedas agunt, et spolia a Graecis auferunt, a nemine hactenus expugnati, propter locorum et montium in quibus habitant, inaccessibilem, ipsisque tantum peruiam et notam asperitatem. Neque vero hi Christiani sunt, neque Iudaei, quamquam multi apud eos Iudaicis nominibus appellentur; iactentque se Iudaeos aliquando fuisse, et Iudaeos fratres suos appellent, quos cum offenderint, exspoliare quidem, non tamen occidere, vt Graecos solent: denique nullam apud hos obseruaui religionis formam. Illinc duobus itineribus in Gardeghin me contuli, excisam et vastatam vrbem, paucosque retinentem habitatores Graecos et Iudaeos. Hinc in Armilon duorum dierum iter est, magnam vrbem ad mare sitam, Venetis, Pisanis, et Genuensibus, aliisque gentibus commune emporium, lato spatiosoque agro: in qua Iudaeos circiter quadringentos inueni; horumque primarios Siloh, et Ioseph gubernatorem,

Robinca.

Sinon Potamos.

Balachia.

Gardeghi.

Armilon.

rem, et Salomo. praecipuum. Ex hac vrbe Bissinam vsque integrum iter est, in qua Iudaei fere centum, primasque in his tenent Sabthai magnus, et Selomoh, et Iaacob. Hinc per mare duobus diebus Seleucam appuli, a Seleuco conditam, vno ex quatuor illis regibus, qui post Alexandrum surrexerunt: vrbs ipsa valde magna est, in qua quingenti circiter Iudaei sunt: primusque horum Semuel genti suae a rege ciuitatis praepositus cum filiis suis sapientum discipulis, et Sabthai genero eiusdem, et Elias, et Michael. student autem Iudaei illi artibus manuariis, quibus viuunt. Duobus illinc diebus Mitricin venitur, vbi Iudaei fere viginti: apud quos primi sunt Isaias, Machir, et Eliab. Inde in Darman duo itinera conficiuntur, in qua Iudaei sunt circiter centum et quadraginta; hosque anteeunt Michael et Ioseph. Ab hac vrbe vnico itinere distat Canisthol, vbi Iudaei viginti fere sunt. Illinc tribus diebus iter fit ad * Aabidon, in littore sitam. et quinque itineribus inter montes confectis Constantinam perueni, maximam vrbem, caputque regni Iauan, quos Graecos vocant, Emanuelis Imperatoris regiam, cuius imperio duodecim reges parent: quorum singulis singula palatia Constantinopoli sunt; et turres et regiones; hisque tota terra subest. Primo ac praecipuo nomen est Aphrippos magnus, secundo Miga Demastocos, tertio Rominos, quarto Mak-

Bissina. Seleuca. Mitrici. Darma. Canisthol. Alias Habiron. Constantina. Iauan. Graeci.

Makdocos, quinto Alchasom Magli: ceteri nomina his similia habent. Constantinopolis vrbis ambitus miliaria octodecim continet, cuius media pars super mare, altera vero dimidia in continente siue arida est: sitaque est super duo brachia maris siue fluminum maxima ostia, in quorum alterum ex Russia, in alterum vero ex Hispania vsque aquae confluunt. Estque frequens negotiatoribus multis ex prouinciis ac regionibus Babylonis, Senaar, Mediae, Persiae, omnibusque regnis terrae Aegypti, et Canaan, et regnis Russiae, Vngariae, et Psianki et Buriae, et Longobardiae, et Hispaniae. Ciuitas ipsa communis et promiscua est, ad quam maritimo ac terrestri itinere ex omnibus regionibus mercatores confluunt: nullam in orbe parem habet, praeter Bagdir maximam illam Ismaelitarum vrbem. Hic celeberrimum templum Sanctae Sophiae est. Graecorum autem Patriarcha hic habitat. Neque enim hi Romani Papae doctrinae correspondent. Alia etiam templa sunt totidem numero quot anni dies. Sed illud maximum thesaurum habet omni aestimatione fere maiorem ex donariis ac diuitiis per singulos annos allatis ex variis regionibus, insulis, castellis, castris, et locis, adeo vt nullum totius orbis terrarum templum cum huius diuitiis comparari possit. In medio autem templo columnae sunt aureae et argenteae; candelabra

Constantinopolis.

Bagdir.

maxi

maxima, et laternae, lampades, et alia ornamenta ex auro atque argento plura quam dinumerare quispiam possit.

Templi muris proximus locus est ad regios ludos constructus, Hippodromus dictus, vbi quotannis per Iesu Nazareni natalitium diem eduntur magna spectacula; ostenduntur-que ibidem omnes formae hominum orbis totius omnibus habituum generibus coram Rege et Regina. producuntur etiam in spectaculum leones, vrsi, pardi, asinique siluestres, qui pugnam inter se committant: et aues quoque in eundem modum: neque existimo in vlla orbis regione huiusmodi magnificos ludos spectari. At vero Emanuel rex praeter illud, quod a maioribus habuerat palatium, alterum sibi ipse construxit ad littus maris, quod Bilbernas vocauit: cuius columnas et muros auro et argento conflato obduxit; in quo bella omnia a se maioribusque suis gesta insculpsit. Solium autem ibidem sibi parauit ex auro et gemmis: idque aurea corona ornauit superne pendenti ex aureis catenis; cuius ambitus solio ipsi aequalis est, margaritis et vnionibus distincta, quarum pretium homo nemo aestimare queat, tanto splendore, vt nulla admota lampade noctu videantur et luceant. Sunt praeterea res aliae eodem loco innumerabiles, narratuque incredibiles; deferunturque in illud palatium quotannis tributa, quibus turres implentur

Hippodromus.

Bilbernæ Imperatoris Emanuelis palatium.

coc-

coccinea purpureaque veste et auro; ita vt nullibi terrarum par structurae atque diuitiarum exemplum inueniri possit. Affirmatur autem ipsius solius ciuitatis vectigal ex foris, portu ac mercatorum tributo collectum, ad viginti millia aureorum in singulos dies accedere. Porro Graeci ipsi regionis incolae auro et gemmis ditissimi sunt, cultuque incedunt sumptuosissimo, vestibus ex cremesino confectis, intextis auro, aut acupictis, equisque vehuntur regum filiis omnes persimiles. Regio ipsa amplissima, omnium fructuum generibus abundat, frumenti etiam, carnium et vini copiam habet magnam; neque similes his diuitias in terrarum orbe inuenire est. sunt etiam docti, ac Graecarum disciplinarum periti, genioque indulgentes; comedunt et bibunt vnusquisque sub vite sua, et sub ficulnea sua: conducuntque ex omnibus gentium linguis, quas illi Barbaras vocant, milites ad pugnandum cum Soldano rege filiorum Thogarma, qui Turcae vulgo dicuntur, eo quod ipsi propter otium ac delicias imbelles et ad praelia ignaui redditi sint; visique mihi fuerint mulieribus persimiles impotentia quadam deliciarum. Nulli autem Iudaei intra vrbem habitant; exclusi enim ab illis sunt brachio aquarum, atque inter illud et Sophiae maris brachium aliud conclusi; neque in vrbem venire permittuntur nisi nauigio, idque negotiorum et commercii caussa.

Soldanius. Thogarma. Turcae.

sunt-

ſuntque Iudaei circiter bis mille, qui cum magiſtris congregantur, hoc eſt ſapientum diſcipulis, inter quos primas obtinent Abtalion magnus, et Abdias, et Aaron Cuſpus, et Ioſeph Sarginus, et Eliakim gubernator: ex illis quidam artifices ſunt veſtium ſericarum; quamplurimi vero mercatores ſunt, iique ditiſſimi. Nulli autem Iudaeo illic equo vehi licet, praeter Selomonem Aegyptium medicum regium, cuius officio Iudaei recreantur; ſuamque captiuitatem ſolantur, quam grauem ſentiunt. oppido enim inuiſi ſunt Graecis Iudaei omnes nullo bonorum ac malorum diſcrimine; propter coriarios; qui dum pelles conficiunt, impuram aquam in plateas ante ſuas ipſorum portas effundunt: ideoque omnes graui iugo pariter premuntur, atque in plateis vapulant, et coguntur violenter inſeruire. Verum Iudaei ipſi diuites, vti dixi, ſunt, virique boni, ac miſericordes, praeceptorumque obſeruatores: qui captiuitatis miſeriam aequo ferunt animo. locus in quo habitant Pera dicitur. Pera.

Inde duorum dierum nauigatione in Doroſton veni, vbi Iſraelitarum vniuerſitas eſt circiter quadringentorum, quorum primi Moſes et Abias et Iaacob. Illinc Galipolin duobus itineribus, vbi Iudaei ducenti fere ſunt; horumque praecipui Elias Caphid, et Sabthai Zutra, et Iſaac Migas: ſignificat autem Migas Turrim ea lingua, quae nunc Doroſton. Galipolis.

Grae-

Graecis materna est. Hinc duobus itineri-
Palas. bus Calas distat, vbi Iudaei quinquaginta fere
erant; in hisque praecipui Iudas et Iacob, et
Semaias magistri. Inde duorum itinere in
Mitylen vnam ex maris insulis delatus, vni-
uersitates Israelitarum in locis decem inueni.
Hicha. Illinc tribus peractis itineribus Hichan veni,
in qua Iudaei quadringenti fere erant, quo-
rum capita sunt Elias et Thiman, et Sabthai:
mastix. ibique sunt plantae ex quibus mastyx colligi-
Ismos. tur. Hinc vero post duo itinera Ismos est,
in qua trecenti fere Iudaei habitant: quos Se-
marias, Ghobadias, et Ioel anteeunt. conue-
niuntque eo congregationes Israelitarum com-
plures Illinc per mare trium dierum itinere
Rhodus. Rhodum appuli, vbi Iudaeos quadringentos
fere inueni: horumque antesignanos Aba et
Hananeel et Eliam magistros. Inde quatuor
Dophros. dierum itinere Dophros distat, vbi coetus Iu-
daeorum una cum magistris est. Sunt prae-
terea ibidem Iudaei quidam haeretici Cy-
prii, Epicurei, quos Israelitae vbique dete-
stantur. At hi profanant Sabbathi vesperum,
et obseruant vesperum primi diei.

Corcos terrae Edom initium. Armeniae ditio. Inde duorum itinerum spatio Corkos di-
stat, quae Edom terrae initium est, eius
quae Armenia vocatur. Estque initium prin-
cipatus Turi domini montium regis Arme-
niae, cuius ditio vsque ad Hhadochian me-
tropolin pertinet; et ad regionem vsque filio-
rum Thogarma, quos Turcas vocant. Inde
vero

vero duobus itineribus Malmiſtras diſtat, quae Tharſis olim dicta eſt, ad mare ſita. Atque hactenus filiorum Iauan regnum eſt, qui Graeci appellantur. Inde duorum dierum itinere Antiochia magna eſt ſecundum fluuium Pir in valle Jaboq ſita, qui ex Libano regionis Emath monte defluit. Hanc vrbem Antiochus rex aedificauit, cui altiſſimus mons imminet muro vrbis etiam ambitus. In montis autem vertice fons eſt, cui homo quidam eſt praefectus: is per cauas trabes aquam ſubterraneis conductibus in magnatum vrbanas domos immiſſam diſtribuit. Ex altero autem latere e regione montis vrbs fluuii alueo ambitur. Eſtque munitiſſima vrbs ditionis diſſidentium a fide noſtra.

Malmiſtras olim Tharſis dicta.

Antiochia in valle Iaboq.

Sunt vero illic aliquot numero Iſraelitae artifices vitri, quorum praecipui ſunt Mardochaeus et Hhaim et Iſmael magiſtri. Hinc duorum dierum itinere Ligam me contuli, quondam Laodiceam dictam, in qua ducenti fere Iudaei ſunt, primique omnium Hhaia et Ioſeph. Inde duobus diebus in Gebal, eadem Baghalgad ſub Libano monte: eſtque proxima nationi illi quam appellant HHASSISSIN, qui non ſequuntur doctrinam Iſmaelitarum, ſed cuiuſdam, quem Prophetam eſſe exiſtimant: cuius dicto omnes parent ſiue in mortem, ſiue in vitam. Hunc autem vocant Hheich al Hhaſſiſſin: eſtque ſenator ipſorum, cuius imperio ingrediuntur et

Liga quondam Laodicea.

Gebal. Baghalgad.

et egrediuntur viri omnes montani. Eſt il-
Karmozz. lius ſedes in Karmos dicta vrbe, quae ini-
tium regionis quondam Sehon fuit: habent
autem religionem inter ſe iuxta doctrinam
ſenatoris ſui. Suntque in omni loco terrori
omnibus; eo quod reges etiam ipſos ſerra
occidant. Horumque ditio ad itinera octo
extenditur. Gerunt autem bellum cum Chri-
Franci. ſtianis iis qui Franci vulgo dicuntur, cumque
Tripolis. rege Tripolis, quae eadem Trabelos regio-
nis Saam. Accidit autem non multis ante
diebus, vt Tripolis regione terrae tremore
concuſſa multi tum ex gentibus, tum ex Iu-
daeis obruti fuerint, et domorum atque mu-
rorum ruinis inuoluti, eodemque tempore
perierint etiam in omni terra Iſrael vltra vi-
Gebal. ginti millia hominum. Hinc vno itinere Ge-
bal diſtat, altera illa quae filiorum Amon
terminus fuit; vbi Iudaei centum ac viginti
Ginotin. fere ſunt. Eſtque ditionis Ginotinorum,
quorum princeps Gilianus Enbirenu voca-
tur: repertuſque eſt illic locus templi antiqui
filiorum Amon; in eoque idolum filiorum
Amon, ſellae, quae ſolium dicitur, inſidens,
ſimulacrum autem ex lapide eſt, auro obdu-
ctum; vtrinque autem duo feminea ſimula-
cra, etiam ſedentia: ante ipſum vero ara, in
qua Amonitarum tempore ſacrificia et ſuffi-
tus fiebant. Iudaeorum autem qui hic habi-
tant, primi ac praecipui ſunt Mair, Iaacob,
Semha. Eſtque ciuitas iuxta littus maris,
quod

quod in Iſraelitarum regione eſt. Illinc duobus itineribus Beritum veni, Beeroth quondam dictam, vbi Iudaei quinquaginta fere ſunt, Salomone, et Ghobadia, et Ioſepho anteſignanis. Hinc vnius diei confecto itinere in Siiadam, quae Sidon olim, vrbem magnam, vbi Iudaei viginti erant: vnde miliaribus fere decem, gens quaedam eſt quae cum Sidoniis bellum gerit, genti nomen ipſorum lingua Dogziin, aliis dicti Pagani, nullius religionis aut ſectae, habitant in montibus, in rupium antris et ſpecubus, nulli Regi vel principi parentes; ſed temere viuentes inter montes altiſſimos et editiſſimas rupes degunt. itinerum trium protracto ſpatio vſque ad montem Hermon. ſuntque inceſtibus infames; matrimonia enim patres cum filiabus ineunt. feſto autem annuo, quod ſollenne habent, tam viri quam feminae, omnes ad commune conuiuium conueniunt, ibique vxores inuicem permutant: Aiuntque hi animam, vbi ex boni hominis corpore diſcedere contigerit, in infantis eadem ipſa hora geniti corpus migrare. ex mali vero hominis corpore diſcedentem in canis migrare corpus, aut in aliam belluam. Atque ita ſapiunt, ſcilicet vt viuunt. Nulli autem apud hos Iudaei ſunt, ſed nonnumquam artifices et infectores veſtium ad hos veniunt artis vel mercaturae exercendae cauſſa; rurſusque abeunt, humaneque ab his et amanter excipiuntur Iudaei.

Beritus. Beeroth. Sidon. Dogziin. Hermon mons. Palingeneſia.

Porro natio haec velocissima est, montibus et collibus percurrendis aptissima; a ceterisque mortalibus inexpugnabilis. Ex Sidone autem itinere vnico distat Tyrus noua, elegans vrbs, commodissimo portu instructa, quem intra se continet, admittitque naues inter duas turres vtrinque constructas: ita vt aerea catena a publicanis portorium administrantibus ex altera in alteram turrim extenta, omnis exitus et aditus nauibus per noctem praecludatur, nullusque possit aliquid e nauibus ablatum asportare. Neque existimo vllum portum huic similem in orbe terrarum inueniri. Vrbs ipsa, vt dixi, pulchra est; in eaque sunt circiter quadringenti Iudaei, inter quos aliqui disciplinalium lectionum periti admodum, imprimisque Ephraim Aegyptius iudex, et Mair ex Carchasona; et Abraham vniuersitatis caput. Ex Iudaeis ibidem agentibus aliqui naues in mari habent quaestus caussa. Sunt illic vitrarii artifices qui vitrum conficiunt Tyrium dictum, praestantissimum, et maximae in omnibus regionibus aestimationis. Inuenitur etiam ibidem saccharum optimum et probatissimum. Conscendentibus Tyri nouae muros, antiqua Tyrus conspicitur mari olim obruta et obducta, distans a noua lapidis funda emissi iactu. quod si quis scapha aut lintre mare ingredi velit, turres, fora et plateas, et palatia in fundo despiciet. Est autem noua Tyrus mercatu

Tyrus noua.

Vitrum Tyrium.

Saccharum.

Tyrus antiqua.

catu publico, ad quem vndique conuenitur, celebris.

Inde vnico itinere in Akadin veni, quae Acadi.
Ghaco olim fuit. Asser tribus terminus Israe- Ghaco.
litidisque regionis initium, ad mare magnum Asser.
sita, insignis portu, quo Christiani omnes Israelis terra.
Ierosolymam nauigiis petentes excipiuntur, in
quem fluuius vrbem ipsam praeterlapsus in- Fluuius
fluit, fluuius Cadumim dictus. Suntque il- Cadumim.
lic Iudaei ducenti fere in hisque praecipui Sa-
dok et Iapheth et Iona. Inde leucis tribus in
Niphas, quae eadem est Gad operta, maris Niphas
littori adiacens, cui ex latere vno Carmel Gad.
mons imminet. ad montisque radices Israeli- Carmel.
tarum quamplurimorum sepulcra sunt; in-
que ipso monte Eliae prophetae antrum visi-
tur, iuxta quod Christiani sacellum construxe-
runt, Sancti Eliae dictum. In summo vero Elias.
montis dorso vestigium exstat altaris diruti et
combusti in diebus Achab, cuius in Eliae histo- Achab.
ria illustris fit mentio. Estque arae illius locus
circularis quatuor fere cubitorum diametro;
sub monte ipso ad latus Chison flumen de- Chison
scendit. Illinc leucis quatuor Caphar-Nah- flumen.
hum distat, antiquum retinens nomen; locus Caphar Nahhum.
editissimus, qui Carmelum prospectu superat. Caesa-
Inde autem sex leucis peractis Caesaream deue- rea.
ni, quam incolae Siseriam vocant; nomen illi Siseria.
antiquum Gad Palaestinorum; in qua erant de- Gad.
cem Iudaei, atque ducenti Cuthaei, hoc est Iu- Cuthei
daei Samaritae, quos Samaritanos vulgo dicunt. Samaritani.

Est autem pulcherrima vrbs, et optima, ad
Caesar. mare sita, ab imperatore Caesare instaurata
et amplificata, deque suo nomine Caesarea
Cacos. dicta. Vnde profectus dimidio itinere Cacon
Ceila. veni, quae Ceila siue Keghila quondam fuit,
Keghila. in qua nulli Iudaei sunt. Hinc rursum di-
Sargoreg. midio itinere in Sargoreg, quae Luz ab anti-
quis vocata est; vbi Iudaeus vnus tantum est,
Luz. isque lanarum infector. Illinc vnius diei con-
Sebaste. fecta via Sebasten accessi, quae eadem Sama-
Samaria. ria est, in qua Achab regis Israel palatium
adhuc internoscitur. Fuit vero munitissima
vrbs in monte sita, amoena fontibus et riuis
aquarum, et hortis, pomoeriis, vinetis et
oliuetis: nullumque Iudaeum habitantem ha-
Nebilas. bet. ab hac duabus leucis Nebilas distat,
Sichem. Sichem olim dicta, in monte Ephraim; vbi
Ephraim. nulli Iudaei sunt: iacetque vrbs in profunda
Ebal. valle inter Gerizim et Ebel siue Hebal mon-
tes, in qua Cuthaei circiter centum sunt, so-
lius Mosaicae legis tantum obseruatores (hos,
vti dixi, Samaritanos appellant.) habent vero
sacerdotes ex posteritate Aharon sacerdotis
in pace quiescentis; qui cum nullis aliis con-
nubia iungunt, nisi cum familiae suae feminis
aut viris, vt genus impermixtum conser-
uent: appellanturque vulgo ibidem Aharoni-
Aharonitae. tae: verumtamen sunt ministri et sacerdotes
legis illorum Samaritanorum. Faciunt au-
tem sacrificia, et incendunt holocausta in Sy-
nagoga quam habent in monte Garizim, ci-
tan-

tantes illud quod ſcriptum eſt in lege: „Et „dabis benedictionem ſuper montem Garizim. aiunt vero ipſi illam eſſe veram Domum ſanctuarii: indunt autem holocauſtum in die phaſe et aliis feſtis diebus ſuper aram conſtructam in monte Garizim ex lapidibus per filios Iſraelis ex Iordane ſublatis. Iactant vero ſeſe ex Ephraim tribu eſſe. Apud hos eſt ſepulcrum Ioſeph iuſti filii Iacob patris noſtri in pace quieſcentis, quemadmodum dictum eſt. Et oſſa Ioſeph quae a filiis Iſrael ex Aegypto aſportata in Sichem ſunt condita. Carent autem hi tribus litteris He ex nomine Abraham; Hheth, ex nomine Iishhac; Ghain, ex nomine Iaghacob. quarum loco Aleph, hoc eſt ſpiritum tenuem ſubſtituunt. Hoc ſigno manifeſto arguuntur non eſſe ex Iſraelis poſteritate ac ſemine, cum agnoſcant legem Moſis his tribus litteris exceptis, quas ignorant. Obſeruant autem ſe a contaminatione mortui, et oſſium, et occiſorum, et ſepulcri. moris etiam his eſt veſtes, quibus quotidie vtuntur, exuere cum in Synagogam eundum ſit, et lauare aquis corpus, aliaſque veſtes induere in hunc dumtaxat vſum comparatas. Eſtque hic quotidianus ritus. Eſt autem Garizim mons fontibus et hortis amoenus: contra vero Ghebal aridus, ſaxis et lapidibus plenus, atque inter vtrumque, vti diximus, vrbs ipſa Sichem ſita eſt. Illinc leucis quatuor Gilboagh mons eſt,

Sepulcrum Ioſeph.

Garizim mons.

Ghebal mons.

Gilboagh.

Gilboe.
Aialon vallis.
Vallis lunae.
Moria.
Garaan Dauid.
Gibghon.
Gabaon.
Ierusalem.
Iacobitae, Armeni, Graeci, Georgii et Franci
Ierusalem incolentes.

est, quem Christiani Gilboe montem vocant, solo sterilissimo et aridissimo. Vnde quatuor post leucas vallis Aialon aditur, quam regionis incolae Christiani *Val de luna* appellant; a qua vnius leucae dimenso spatio in Moriam montem veni ad Garaan Dauid dictum oppidum, vrbem quondam magnam Gibghon siue Gabaon dictam, vbi nulli Iudaei sunt. Inde tribus leucis confectis, Ierosolymam ingressus fui, paruam vrbem, tribus muris munitam, in qua multa hominum genera sunt, Iacobitae, Armeni, Graeci, et Gorgeri, siue Georgii, et Franci, ex omnibus linguis gentium. Est autem illic domus inficiendis lanis et vestibus comparata, quam Iudaei singulis annis a rege conducunt eo pacto, vt ipsi solummodo eam artem exercere possint. Suntque Iudaei habitantes in angulo ciuitatis sub Turre Dauid. in qua turri supersunt adhuc ex antiquo aedificio muri a maioribus nostris constructi ad altitudinem cubitorum decem fere ab ipso fundamento. His vero quod superest, Ismaelitarum est aedificatio. Nullum vero in tota vrbe aedificium illi turri Dauidis firmitudine par est. Sunt autem illic duae domus hospitales nuncupatae, quarum habitatores Christiani hospitalarii vocantur: equitesque sunt; ex quorum collegiis duobus quadringenti fere prodeunt ad pugnam instructi: in illisque domibus aegroti omnes eo sese conferentes excipiuntur

et curantur, omni necessariarum rerum tam viuis aegrotantibus et conualescentibus ad vitam, quam mortuis ad funus copia abunde suppeditata. Appellatur autem secunda illa domus Hospitalis Salomonis, est enim in loco palatii a Salomone quondam constructi. Prodeunt itaque quotidie ex illis quadringenti ad pugnam; hique omnes collegae sunt iurati et voto adstricti, praeter alios complures, qui ex terra Francorum et Italorum eo conueniunt: sponte suscepto voto, quod vno aut altero anno ibidem commorati absoluunt. Est praeterea illic maximum templum quod sepulcrum appellant, Iesu Nazareni sepulcrum, cuius visendi caussa peregrini conueniunt. Habet Ierosolyma portas quatuor, vni nomen Somnus Abrahae, alteri porta Dauid, porta Sion tertiae, quartae Iehosaphat porta. Haec vero est ante domum sanctam, quae quondam stabat, in qua nunc est fanum, Templum Domini dictum, in ipso sanctuarii antiqui loco situm: ipsum vero templum Domini nunc dictum, maxima quaedam et pulcherrima fornix est a Ghemar Ben Alchetab exstructa, a Christianis nunc celebrata, qui eo loco nullam imaginem aut simulacrum habent, sed tantum preces fundendi caussa illud frequentant. E regione vero loci huius paries est constructus vnus ex parietibus qui fuerant in sanctuario, quem nunc Misericordiae portam vocant: atque ad

Hospitalis Salomonis.

Sepulcrum Iesu.

Templum Domini.

Ghemar Ben Alchetab.

Porta misericordiae.

ad hanc portam accedunt Iudaei precaturi ante parietem in atrio. Ibidem etiam, Ierosolymis inquam, in domo quae fuit Salomonis, visuntur praesepia equorum a Salomone constructa, aedificium firmissimum, lapidibusque constans maximis. cuiusmodi fabricae nullum in tota terra visitur exemplum. Exstat etiam hactenus piscina illa in qua antiqui victimas mactabant: atque Iudaei singuli suum nomen illic in muro scribunt. A porta Iosaphath prodeuntibus in desertum populorum dictum itur, in quo monumentum manus Absalonis est, et sepulcrum Vziae regis, et fons magnus aquarum Siloahh in torrentem Kedron defluentium: et iuxta fontem magnum aedificium a maiorum nostrorum diebus. in fonte vero exigua aquae copia inuenitur: maxima autem hominum Ierosolymis degentium pars aquam pluuiam cisternis priuatis collectam bibit. Ex valle autem Iosaphat in montem Oliuarum continuo ascenditur, nihil enim inter vrbem et montem illum praeter hanc vallem interiacet. Ex monte autem ipso Sodomiticum mare conspicitur: a mari vero illo ad cumulum salis, in quem Loti vxor conuersa est, duae leucae sunt. Constat enim adhuc cumulus ille, qui a gregibus aliquando lambendo imminutus denuo ad pristinam crescit molem: prospicitur etiam ex Oliuarum monte regio omnis plana illa, quam interfluit fluuius Sitim vsque

Manus Absalonis. Sepulcrum Vsiae regis. Fons Siloahh. Mons Oliuarum. Mare Sodomiticum. Statua salis in quam versa est vxor Lot. Sitim fluuius.

vſque ad Montem Nebo. E regione Ieroſo- Nebo mons.
lymae huius nouae mons Sion eſt, in quo Mons Sion.
nullum integrum aedificium viſitur, praeter templum vnum Chriſtianorum. Ante Hieruſalem etiam viſuntur tres veluti ſepulcrales domus, in quibus Iſraelitae quondam ſepeliebantur; et ſepulcrorum forma adhuc decens et conſpicua eſt, ſed imminuitur in dies Chriſtianis lapides eruentibus ad priuatas domorum ſtructuras. Ambitur vero Ieroſolymae tractus ille magnis montibus. Sunt vero in Sion monte Dauidicae familiae ſepulcra, et regum eorum qui poſt Dauid ſurrexerunt, ſed locus ipſe ignotus vulgo eſt. Accidit enim ante annos quindecim, vt murus vnus templi, quod in Sion monte eſſe dixi, corruerit, quem Patriarchae iuſſu templi ſacerdos cum inſtaurare conſtituiſſet, lapides ex antiquis montis Sion murorum fundamentis ad templi inſtaurationem eruendos operis numero circiter viginti locauit. in hiſque erant duo homines foederis compotes, amici, ex quibus alter alterum die quadam mane in conuiuium priuatum domum ſecum duxit, atque poſt ientaculum vna ſumptum dum ad opus veniſſent, rogati a praepoſito operis cur tam ſero accederent, reſponderunt ſe horam illam compenſaturos continuato labore. interea dum alii omnes pranſum abirent; idque dum praeſtarent quod polliciti fuerant, lapide quodam ſublato an-

tri

tri ostium inuenientes dixerunt ad inuicem: Subeamus conspecturi an thesaurus hic lateat aliquis. igitur ingressi tamdiu processere quoad accederent ad quoddam palatium marmoreis columnis innixum, auro et argento obductum, ante quod mensa erat, in eaque sceptrum et corona aurea: atque hoc erat sepulcrum Dauid regis Israel, ad cuius sinistram Salomonis simili ornatu sepulcrum, et alia multa aliorum ex Dauidis familia regum Iuda, qui ibidem conditi fuerant. erantque illic arcae conclusae; quid vero continerent, adhuc hominibus ignotum est. Cum vero homines illi in palatium penetrare constituissent, turbinis spiritu percussi, ex antri ostio in terram exanimati deciderunt. iacuerunt autem eodem loco vsque ad vesperam: cum spiritu alio rursus excitati, humanae voci similem audierunt: Surgite, exite ex hoc loco. Illi vero impulsi, atque pauore correpti maximo, trementes exierunt, remque omnem ad Patriarcham retulere, quam ille Abrahamo cognomento Pio dicto, Pharisaeo Constantinopolitano, Hierosolymis degenti, ad se vocato, per eosdem duos homines exponendam curauit, qui rogatus quid sentiret, dixit locum illum esse sepulcrorum domus Dauid destinatorum regibus Iuda. Postera autem die vterque ex illis hominibus in lecto cubans, et graui prae metu infirmitate laborans domi repertus est, qui nullis conditionibus

Sepulcra Dauid et Salomonis vbi.

nibus

nibus illuc amplius se ingressuros esse dixerunt, affirmantes nefas esse vlli homini eo quo Deus vetaret, ire velle. Quamobrem Patriarcha iubente locus occlusus est, et opere ab oculis hominum celatus ad hodiernum vsque diem. rem autem hanc omnem ipse Abraham Pius, quem dixi, mihi narrauit.

Inde duabus parasangis Bethlehem Iudae distat, cui dimidii fere miliaris spatio Rachelis sepulcrum proximum est in biuio: estque tumulus constructus lapidibus duodecim iuxta numerum filiorum Iacob; supraque tumulum est testudo quatuor columnis innixa. Poro tumuli lapides Iudaeorum illac praeter euntium nominibus multis et variis incisi sunt. Sunt vero in Bethlehem Iudaei duodecim lanarum infectores. ager oppidi aquarum riuos, et puteos, et fontes habet. Bethlehem. Tumulus Rachel.

Hinc leucis sex confectis Hebron veni in plano sitam: nam Hebron antiqua metropolis in monte fuit, sed nunc deserta est. in valle vero ager est in quo est duplicitas, hoc est gemina velut vallicula, ibique sita est vrbs, ibidemque templum ingens, quod Sancti Abraham vocatur. fuerat autem locus ille Iudaeorum synagoga, quo tempore ab Ismaelitis regio occupabatur. Gentes vero, a quibus postea obtenta est, sepulcra sex in templo construxere nominibus Abrahae, Sarae, Isaac et Rebeccae, Iaacob et Liae. Dicunt autem nunc incolae peregrinis, illa esse Hebron. Sancti Abrahae templum.

patriar-

patriarcharum monumenta: offerunturque illic pecuniae. Verum enimuero Iudaeo cuipiam accedenti, et mercedem ianitoribus porrigenti, ſpelunca oſtenditur porta ferrea patefacta, quae a diebus antiquis illic adhuc manet. Deſcenditque homo inferius lampade accenſa in primam ſpeluncam, in qua nihil inuenitur, neque etiam in ſecunda, donec tertia ſubeatur, in qua ſex monumenta ſunt Abraham, Iſaac et Iaacob, Sarae, et Rebeccae, atque Liae; alterum e regione alterius: ſingulaque characteribus inciſa ſunt, nominibuſque diſtincta ſingulorum, hoc modo, SEPVLCRVM ABRAHAM PATRIS NOSTRI, SVPER QVEM PAX SIT, et caetera ad idem exemplum. ardet autem perpetuo lampas nocte atque die in ſpelunca, miniſtris templi oleum et pabulum miniſtrantibus aſſidue. Sunt etiam in eadem ſpelunca dolia plena oſſibus Iſraelitarum antiquorum, illuc a familiis Iſrael aſportata, quae in hodiernum vſque diem eodem illo in loco manent. In ipſo vero duplicitatis agro antiquae domus patris noſtri Abrahae monumenta adhuc extant et viſuntur, et fons ante illam ſcaturit, neminique licet illic domum aedificare propter Abrahae obſeruantiam.

Abrahae domus.

Inde duabus leucis Beth-Gebarin diſtat, quae Mareſſa dicta olim fuit, vbi tres tantum Iudaei erant. Hinc quinque paraſangarum itinere peracto in Torondolos Gabraleris veni,

Beth-Gebarin. Mareſſa. Torondolos

veni, quae Sunam quondam vocabatur, vbi Iudaei trecenti sunt. Inde leucis tribus Sanctus Samuel de Silo est, oppidum videlicet olim Siloh dictum, a Ierusalem duabus parasangis distans, vbi magnum templum est, in eoque sepulcrum Samuelis prophetae a Christianis ex Ramatha, quae eadem Rama est, huc translatum post exactos inde Ismaelitas, oppidumque captum, vbi antea Samuelis corpus in Iudaeorum Synagoga sepultum custodiebatur. est autem nunc, vti dixi, in Silo eximium et magnum templum, cui nomen est ab ipsis impositum Sancto Samueli de Silo: et ad hunc vsque diem manet.

Gabralęris. Sunam. Ramatha. Rama. Silo. Samuelis templum.

Inde profectus tribus peractis parasangis versus montem Moria Pesipuam veni, quae Gibgha Saulis patria est, alias Gibgha Beniamin dicta, vbi nulli Iudaei sunt. Tribus deinde leucis Beth-Nobi distat, eadem Nob dicta, sacerdotalis ciuitas, vbi Iudaei duo infectores, in medioque viae illius duae illae rupes sunt Ionathae memoria illustres, quarum alteri Botsen, alteri vero Sina nomen est. Illinc profectus post tres parasangas veni in Ramas, quae olim Harama; cuius murorum et aedificiorum pars ab antiquis vsque temporibus manet, idque lapidum inscriptionibus adhuc extantibus confirmatur; ostenduntur que vestigia et ruinae ac situs maximae quondam vrbis, vbi tantum tres Iudaei nunc sunt. Visiturque adhuc Israelitarum ager,

Moria. Pesipua. Gibgha Saulis. Beth-Nobi. Nob. Ionathan. Botsen. Sina. Ramas. Harama.

Israe-

Israelitarum sepulcris instructus multis, duorum miliarium spatio longus. Quinque abhinc leucis est Gapha, olim Iapho, aliis Iope dicta, ad mare sita; vbi vnus tantum Iudaeus, isque lanae inficiendae artifex est. Hinc Ebalin vsque parasangas confeci tres. ea vrbs est quae Iebna quondam dicebatur, in qua antiquae scholae situs adhuc visitur, nullusque illic Iudaeus est. Atque hic Ephraim tribus finis erat. Vnde tribus peractis leucis Palmin me contuli, olim Asdod, siue Asotum appellatam, Palaestinorum celeberrimam quondam vrbem, nunc vero dirutam: in ea nullus Iudaeus est. a qua Ascalona duabus parasangis dissita est. Haec est Ascalon cognomento noua, ab Esdra sacerdote, in maris littore condita, quae initio Benibera appellata fuit. Haec ab antiqua Ascalone Palaestinorum iam quondam vastata parasangis quatuor distat. Est autem noua haec ingens et pulchra vrbs, multis vndique negotiorum caussa confluentibus hominibus frequens, eo quod in parte termini Aegypti sita sit, in eaque sunt Iudaei ducenti fere docti, quibus praeeunt Tsamahh, et Aharon, et Salomo. Sunt etiam quadraginta circiter ex iis studiosis qui literales dicuntur, hoc est in sacrorum librorum simplici sententia versati, et Cuthaei, siue Samaritanorum doctrinae sectatores, quasi trecenti. Est autem illic puteus in media vrbe, quem Ismaelitica lingua inco-

Gapha. Iapho. Iope. Ebalin. Iebna. Palmis. Asotus. Asdod. Ascalona. Ascalon noua. Benibera.

incolae vocant Bir Abraham Alchelil, hoc est puteum Abrahami maximi, ab Abrahamo apertus Palaestinorum diebus. Hinc Seguram pertransii, cui Lud antiquum nomen fuit: vnde sesquidiei itinere confecto Zarezin veni, quae Iezreghel, vbi magna quaedam aedes est, in eaque vnus tantum Iudaeus lanarum infector. Quatuor hinc leucis Sipuria est, quondam Tsipori vocata, vbi sepulcra sunt magistri magni illius Hakados appellati, et Hhaiiah qui ascendit ex Babylone, et Ionae filii Amithai prophetae, qui in monte sepulti sunt. ac praeter haec etiam plura alia sepulcra antiqua sunt. Hinc tribus parasangis Tiberia est secundum Iordanem ad lacum, mare Kinereth siue Genezareth vocatum, in quem Iordanis influit et effunditur versus mare salis in terram planitiei: atque hic locus dictus est Asdoth-hapisga; et egressus inde incidit in mare Sodomae, quod Mare salis dicitur. Sunt vero Tiberiae Iudaei quinquaginta fere: in hisque primi Abraham videns et Muchthar et Isaac. Sunt vero in illo loco aquae calidae ab humo scaturientes, quas Tiberiae thermas appellant; ibidemque est synagoga Caleb filii Iephune non longe a thermis. complura quoque illic Israelitarum sepulcra sunt, celeberrimaque in primis Iohannis filii Zachai, et Ionathae filii Leui: omnia haec in Galilaea inferiori sunt. Hinc duobus itineribus in

Seguras. Lud. Zarezin. Iezreghel. Sipuria. Tsipori. Ionas. Tiberia. Iordanis. Asdoth hapisgah. Thermae.

Timin. Tamnatha. Timin veni, quae Tamnatha quondam dicta fuit, insignis sepulcro Samuelis Iusti quod adhuc visitur, et aliis etiam Israelitarum sepulcris instructa. Ghasth. Illinc post integrum iter Ghasth est, Gus Hhaleb quondam dicta, in qua Iudaei circiter viginti. Hinc sex parasangis Maran. Maron. confectis Maran me contuli, cui antiquum nomen Maron, in ea sepulcra sunt Hilel et Hilel et Samai. Samai in spelunca cum viginti sepulcris discipulorum vtriusque, et aliis etiam monumentis, vt Benjamin filii Iephath et Iehuda filii Ghalma. Bathira. Inde sex leucis est Ghalmah aedificio magno sepulcrorum Israelitarum insignis; vbi Iudaei quinquaginta sunt. Hinc dimidio Kades. itinere distat Kadis, quae eadem Kades Nephthalim ad Iordanis ripam, vbi sepulcra antiquorum sunt Eliezer filii Gharoch et Eliezer filii Azariae, et Huni cognomento Rotundi, et RASBAC et Iose Galilaei. Ibidemque Barac. extat adhuc monumentum Barak filii Abinogham. Baliinus. Dan. Ex hoc loco profectus itinere integro in Baliinus veni, olim Dan dictam, iuxta quam antrum est, vnde Iordanis prodit, Iordanis caput. Arnon. qui tribus decursis miliaribus Arnon aquas excipit ex Moab finibus defluentis. Ante antrum ipsum ostenduntur vestigia arae siue statuae, quam Michaeas quidam dicauit, a filiis Dan illis diebus cultae: nec longe etiam locus visitur arae a Ieroboam filio Nabat erectae, in qua vitulus ille aureus dicatus fuit. Atque hactenus Israelis terminus a latere maris

tis posterioris. Vnde duo itinera Damascum vsque confeci vrbem, initium regni Noraldini regis filiorum Thogarma, qui Turci vulgo dicuntur. Vrbs ipsa maxima atque pulcherrima est, muris cincta; regio vero tota hortis et paradisis instructissima, ex singulis lateribus quindena continens miliaria. Nusquam alias in tota terra fructifera vrbs huic similis visitur: quam duo flumina ex Hermon monte delapsa beant, Amna et Pharphar. Sita enim est vrbs sub Hermone monte. Amna vrbem ipsam influit, cuius aquae per tubos in omnes magnatum domos, atque etiam in fora et plateas diducuntur. Estque regio ipsa negotiis omnium terrarum frequens. Pharphar vero vrbem ipsam praeterfluens hortos et paradisos omnes irrigat. Est autem in vrbe Ismaelitarum synagoga, quam illi Gumagh Dumesque, hoc est Damasci Moscheam vocant, cui simile aedificium nusquam terrarum conspicitur: dicitur autem ab incolis fuisse palatium regium Ben Hadad. Estque illic murus vitreus magorum opere constructus, foraminibus distinctus dierum Solis numero paribus, ita vt singulis diebus Sol singula foramina subiens gradus duodecim horis diei aptatos perambulet, atque ita tempus indicet annuum ac diurnum. Sunt autem intra palatium ipsum aedes siue balneola ex auro argentoque constructa, in quibus solium simili materia est, magni dolii

Damascus.

Hermon.
Amna.
Pharphar.

instar, ita vt tres homines lauantes simul capiat. Vidi intra palatium pendentem hominis costam vnius ex Enakim nouem Hispanicorum palmorum longitudine, duorum vero palmorum latitudine: dicitur autem ille fuisse ex antiquissimis regibus Enac, nomine Abchamaz, vt ex sepulchri illius lapide inscripto est indicatum: in quo scriptum etiam est illum in toto orbe regnasse. Sunt autem Damasci Israelitae circiter ter mille, inter quos discipuli sapientum atque diuites sunt. ibidem vero habitat caput Synedrii terrae Israel, cui Esdra nomen est, et frater eius Sar Salom, praefectus iudicii, et Ioseph quintus ex Synedrio, et Matssiahh caput ordinis praelectorum, et Mair sapientum corona, et Sadik medicus. ibidem etiam ex literalibus ducenti fere; ex Cuthaeis vero fere quadringenti: inter quos omnes magna concordia paxque est, non tamen hae diuersae factiones matrimonia inuicem coniungunt. Damasco profectus integro itinere Galgad me contuli, quae eadem Gilead quondam dicta, amplam regionem aquarum fluuiis et fontibus scatentem, hortis atque pomoeriis plenam, in qua ex Israelitis sexaginta circiter sunt. Hinc vero dimidio itinere Salcatha est, quae olim Saleca vrbs dicebatur. Vnde Baghal-Beik alterum dimidio itinere distat, cui nomen antiquum Baghala fuit, in valle sita sub Libano, a Salomone in Pharaonis filiae gratiam et

Enac.

Galgad.

Salcatha.
Saleca.

Baghala.

vſum condita. extatque adhuc palatii ſtructurae pars, cuius lapides Hiſpanicos palmos vigenos longitudine, latitudine vero duodenos aequant, inter quos nullum omnino intritum eſt. ferturque vulgo aedificium illud non fuiſſe hominum manu factum, ſed * Aſmodaei. Atque in ipſo ciuitatis initio fons magnus erumpit, mediamque vrbem perlabitur. Eſt etiam Thadmur in deſerto ſita, Salomonis quoque iuſſu ſimili aedificio lapidumque magnitudine conſtructa: eſtque muro cincta, ſola, vti dixi, atque ab habitatione alia ſemota, diſtanſque a Baghala itineribus quatuor. In hac autem vrbe Thadmur Iudaei quater mille ſunt, fortes et ad pugnam prompti atque inſtructi: qui bellum cum filiis Edom gerunt, et cum filiis Gharab, vel Arabibus vulgo dictis, Noraldini regno parentibus. atque iidem auxiliantur Iſmaelitis vicinis. Hos autem anteeunt Iſaac cognomento Graecus, et Nathan, et Vziel. Illinc dimidio itinere Kiriathin veni, Kiriathaim quondam vocatam, in qua nulli Iudaei ſunt praeter vnum infectorem lanarum. Vnde profectus integro itinere Hamath ingreſſus ſum, antiquum nomen retinentem, ſub Libano monte ſitam, ſecundum fluuium Iabok. Accidit autem in illis diebus, vt magno terrae tremore concuſſa vrbe vltra quindecim hominum millia vna die perierint; neque plures quam ſeptuaginta viri fuerint ſuperſtites: quorum praecipuus eſt Ghola ſa-

* i. daemonis cuiuſdam.

Thadmur.

Kiriathin.

Hamat.

Fluuius Iabok.

cerdos, et senex pater Galeb et Muchtar.
Siha. Hinc dimidii diei itinere Siha distat, quondam
Hhatsor. Hhatsor appellata: a qua Lamdin non
Lamdin. longius tribus leucis remota est. Inde duobus
Hhaleb. itineribus Hhaleb itur, cui urbi et regioni
Aram Tsoba. antiquum nomen Aram Tsoba fuit: estque regia Noraldini regis, intra quam palatium est maximo muro cinctum, nullusque in tota vrbe fons aut puteus aut fluuius est: bibuntur vero imbres in cisternis collecti, quas lingua Ismaelitica Algubos vocant. Hic ex Israelitis circiter mille et quingenti sunt, quorum capita sunt Moses Constantinopolitanus, et Israel, et Seth. Hinc vero duobus
Baalits. Pethora. Balaam. itineribus confectis, Baalits veni, quondam Pethoran, iuxta Euphratem fluuium, vbi in hodiernum vsque diem manet turris Balaam filii Beghor (impiorum nomen aboleatur) ad diei horarum rationes aedificata: in illaque vrbe exiguus Iudaeorum numerus est. Illinc
Kelagh Geber. Selagh Midbera. Petra deserti. dimidium iter est vsque ad Kelagh Geber, quae Selagh Midbera antiquis fuit, Latinis Petra deserti. Hanc tantum retinuere Arabes; postquam a Turcis ex suis sedibus et vrbibus vi pulsi, in deserta confugere. Sunt vero hic bis mille fere Iudaei, horumque antesignani Sedekias, Hhaiia, et Salomo. Hinc
Dacia. Chalne. Senaar. Turcae. Sanghasar. itinere vno Dakia distat, quae quondam Chalne dicebatur, initium terrae Senaar, quae media est: procurrit inter Turcarum regnum & Sangasar regionem. Suntque illic septingen-

genti fere Iudaei, quibus praeeunt Zachai, et Nedib, alio nomine SAGI Nehor, et Iofeph. Eſtque hoc in loco Synagoga ab Eſdra aedificata redeunte ex Babylone Hieroſolymam. Inde poſt itinera duo Hharan antiqua eſt, in qua etiam ſimilis ſtructurae ſynagoga eſt, eiuſdem Eſdrae iuſſu facta: ſed is locus, in quo Abraham patris noſtri domus fuerat, nullum aedificium continet, ab Iſmaelitis vero religioſè colitur; ab iiſdemque precum fundendarum cauſſa frequentatur. Illinc profectis duorum dierum iter peragitur vſque ad locum vnde fluuius erumpit ab incolis Alchabor dictus, idem olim Hhabor appellatus, qui in prouinciam Madai ſiue Mediam procurrit, inciditque in montem Gozen. Ibidem vero Iudaei circiter bis mille ſunt. Hinc duo poſt itinera Netſibin ſiue Niſibis eſt magna vrbs, aquarum fluminibus abundans; in qua ſunt Iudaei fere mille. Vnde duobus itineribus peractis in Gezir Ben-Chamar venitur, quae vrbs intra ripas continetur Hidekel amnis, quem occidentales Tigriden vocant, ad radices montium Ararat ſiue Tauri, quatuor miliaribus fere diſtans a loco in quo Noë arca quieuerat: illam autem arcam Ghamar-Ben-Alchetab ex montis dorſo ſublatam, in Iſmaëlitarum Moſcheae vſum tranſlatam adaptauit, cui ſatis proxima Eſdrae ſynagoga vſque ad hodiernum diem eſt, ad quam Iudaei ex vrbe egreſſi feſtis die-

Hharan. Alchabor. Hhabor. Madai. Media. Gozen. Niſibis. Gecir Benghamar. Hidecel. Tigris. Ararat. Noe arca. Gamat-Ben-Alchetab.

bus precationum caussa conueniunt. Sunt autem in illa metropoli Gezirae Gamar-Ben-Alchetab Iudaei quater mille fere, primoribus Mubhhar, et Ioseph, et Hhaiia. Illinc duobus itineribus Al-Mutsal distat, cui nomen quondam Assur magna fuit, in qua septem millia Iudaeorum sunt: quos anteeunt Zachaiha Nassi ex posteritate Dauid regis et Ioseph cognominatus Barhan al pelech, consiliarius regis Zinaldin fratris Noraldini Damascenorum regis, atque haec vrbs Persiae regni nunc initium est, amplitudinemque illam et magnitudinem antiquam retinet ad Hhidekel flumen sita, inter quam et Niniuen antiquam pons tantum interest: sed Niniue excisa funditus est: pagi tamen et castella multa sunt intra antiqui ambitus spatium, a quo ad Adbael vrbem parasangae vnius distantia est. Erat autem Niniue ad Hhidekel ripam aedificata. In vrbe vero Assur tres synagogae nunc sunt prophetarum trium, Abdiae, Ionae filii Amithai, et Nahhum Elcussei. Inde profectus, tertioque peracto itinere, in Rahaban deueni, antiquis Rehhoboth appellatam, iuxta Euphratem fluuium sitam, in qua Iudaei bis mille fere sunt, quorum primores Ezechias et Ahud, et Isaak habentur. Est autem maxima et pulcherrima vrbs vndique muris cincta, apprimeque munita, pulcherrimis hortorum et paradisorum suburbanis instructa. In eiusdem fluminis

Almutsal. Assur. Persiae initium. Niniue. Adbael. Synagogae Abdiae, Ionae, et Nahum. Rahaba. Euphrates.

ripa

ripa Karkesia est olim Charchamis dicta, vni- Karkesia.
co itinere a Rahhaba remota; in qua quingen- Charchamis.
ti circiter Iudaei habitant, Isaak et Elhhana
antesignanis. Hinc duorum dierum itinere
Al-Iobar petitur, cui vetustum nomen Pum- Al-Iobar.
beditha fuit, sita in Nahardagha: in qua cir- Pumbeditha.
citer bis mille Iudaei sunt, inter quos disci- Nahardagha.
puli sapientum non pauci; horum vero ante-
signani sunt Hen Magnus, et Moses, et Elia-
kim. memorabilia habentur illic sepulcra Iu-
da et Samuel magistrorum. Ante vtrumque
sepulcrum duae synagogae sunt, ab ipsis an- Dux captiuorum ibidem exulantium.
te mortem aedificatae. ibidemque sepulcrum
Bestenai Hanassi qui fuit caput transmigratio-
nis, et Nathan, et Neheman filii Papha.
Hinc profectus ad Hhardan vsque itinera Hharda.
quinque confeci, in qua Iudaeorum sunt cir-
citer quindecim millia, quibus anteeunt Za-
chen et Ioseph et Nathanael. Ab hac vrbe
duo itinera sunt ad Ghukberan metropolin, a Ghukbera.
Iechonia rege Iuda aedificatam, in qua Iu-
daeorum decem millia fere sunt primoribus
Iehosuagh et Nathan. Hinc itineribus duo-
bus distat Bagdad magna vrbs, initium regni Bagdad.
Caliphae nomine Amir Almumanin Algha- Calipha.
bassi, ex progenie illius quem Ismaelitae pro-
phetam suum vocant, qui toti doctrinae et
sectae Ismaelitarum praeest: atque hoc no-
mine ceteris omnibus Ismaelitis regibus su-
spiciendus venerabilisque habetur: praeest
enim omnibus illis, vt summus quidam

omnium pontifex. Habetque intra vrbem ipſam Bagdad palatium trium miliarium area conſtructum, intraque palatium ſilua omnium terrae orbis arborum generibus inſtructa eſt, non ſolum fructiferis; ſed ſterilibus etiam; beſtiarum quoque naturis omnibus frequens: in media autem ſilua maximum ſtagnum aquarum ex Tigri flumine deductarum. Calipha autem in illa ſilua animi cauſſa vel deambulante vel coenante venationes, aucupia et piſcationes a miniſtris exercentur, hunc locum ille petit conſiliariorum & principum ſuorum comitatu inſtructus. Eſtque nomen

Alghabaſſi Hhaphtſi. i. demiſſi obſeruatores.

proprium magni huius regis Al-Ghabaſſi Hhaphtſi, qui valde Iſraelitas amat, linguarum peritus, Moſaicae legis legendae ſtudioſus, qui Hebraice doctus docte et legit et ſcribit. is autem ſibi hanc religionem indixit, vt nullum vſum capiat vel cibi vel potus, aut veſtitus, niſi ex manuum ſuarum labore: eſt vero artifex ſtorearum et tegetum elegantiſſimarum, quas ſigillo proprio notatas in forum vendendas praecipuis miniſtris ſuis tradit: eas vero magnates terrae emunt, illiuſquae quaeſtus pecunia ipſe ſibi victum parat: eſt autem probis moribus vir et fidelis, ſuoque ritu religioſus, humaniſſimeque ſalutat et alloquitur homines omnes. At vero Iſmaelitis non licet illum intueri. Peregrini autem, qui ex remotiſſimis regionibus domum

Meca.

illam celebrem Meka dictam, in terra Aeli-

man

man ſitam petunt, hac iter faciunt Caliphae Aeli-
ſalutandi ſtudio; ingreſſique in palatium cla- man.
mant, Domine noſter Iſmaelitarum lux, legiſque noſtrae iubar, oſtende nobis faciei tuae ſplendorem: quorum verbis ipſe non intendit animum. Tum vero principes familiares ac miniſtri ipſius eundem huiuſmodi oratione petunt: Domine noſter, expande pacem tuam ſuper homines hos ex remotis regionibus huc venientes, quos mirabilis cupiditas impulit confugiendi in vmbram decoris tui. Eadem igitur hora ille veſtis ſuae alam ſublatam e feneſtra demittit, quam peregrini adeuntes religioſe exoſculantur. auditoque huiuſmodi reſponſo ex vno illorum familiarium principum; Ite in pace; iam quippe dominus noſter Iſmaelitarum lux excepit et dedit vobis pacem. (exiſtimatur enim ab his tamquam ille quem ipſi ſuum Prophetam praedicant) redeunt itaque in patriam vnuſquiſque ſuam laetiſſimi, poſtquam hoc modo dimiſſi huiuſmodi principis oratione fuerint: ac domum redeuntes, a fratribus, conſanguineis et familiaribus atque neceſſariis veſtium exoſculationibus excipiuntur. Singulis autem principibus iis, qui Caliphae inſeruiunt, ſingula ſunt palatia intra illam maximam regiam, ſinguli tamen ferreis catenis vincti incedunt, atque ſingulis horum aedibus praefecti ſunt cuſtodes obſeruantes, ne quis aduerſus maximum illum regem nouarum

uarum rerum aliquid tentet. Accidit enim ſemel, vt ipſius fratres aduerſus eum coniuratione inita vnum alium quempiam ex ipſorum numero praeficerent; quamobrem ipſe decreto ſanxit, vt ſinguli gentilitiae ipſius familiae filii catenis ferreis vincirentur, ne iterum eiuſmodi aggrederentur facinus aduerſus maximum regem. Verum vnuſquiſque verſatur in priuata aula amplis honoribus cultus, habetque vrbes, oppida et regiones, ex quibus per quaeſtores allata tributa et vectigalia quotannis accipit. exercent autem conuiuia, et genio per totam vitam indulgent. Sunt vero in illo maximi regis palatio admirandae magnitudinis aedificia, et columnae ex argento et auro et penetralia his metallis obducta, et omnibus gemmarum et vnionum generibus exornata: quo palatio ille ſemel in anno tantum prodit eo feſto vel paſchate, quod ab ipſis Ramadan dicitur. concurrit autem frequens hominum turba ex variis et remotis regionibus ad illam diem ipſius faciei videndae cauſſa. venitur vero ille mula regiis veſtimentis ex auro et argento contextis indutus, caput cydari ornatus incomparabilis pretii lapidibus ſplendenti: ſuper cydarim vero nigrum ſudarium geſtat, quo geſtamine ſaeculi huius verecundiam profitetur; ac ſi diceret: Hanc maximam quam conſpicitis amplitudinem tenebrae obſcurabunt in die mortis. comitantur praeterea ipſum Iſmaelitarum magna-

Ramadan paſcha.

magnates omnes pulcherrimis culti vestibus, equisque insidentes principes; Arabiae, principes Mediae et Persidis, principes regionis Tuboth, quae ab Arabia trium mensium itinere distat. Prodit autem ex regia sua ad magnam quam vocant precationis domum in porta Bosra aedificatam: illa enim illis maxima precationis domus habetur. Porro tam viri quam feminae, omnes qui illum diem celebrant, purpureis et sericeis indumentis vestiti sunt. Inuenias enim per vias et plateas cunctas omnia instrumentorum, canticorum, saltationum genera ipso praetereunte ludentia. atque ipse Calipha maximus rex ab omnibus salutatur huiusmodi vocibus: Pax super te Domine noster Rex. Ipse, inquam, suam ipsius vestem exosculatur, qua interdum, interdum vero sola manu protensa pacem et salutationem illis significat. atque ita vsque ad precationis atrium incedit, vbi turri lignea conscensa ex superiori loco legem suam pro concione interpretatur. Tum vero Ismaelitarum sapientes consurgentes illi fausta omnia precati gratulantur, magnitudinem et pietatem eximiam multis exemplis perspectam, quam perpetuam ipsi optant. Hanc vero gratulationem ceteri omnes promouent, respondentes amen. Deinde vero ipse illis omnibus benedicit. mox camelus adductus ab ipso iugulatur: hoc enim paschale conuiuium illis habetur. ex cuius carne principibus

Arabia. Persis. Tuboth. Bosra.

bus illis ministris suis particulas distribui iubet degustaturis mactationem ab ipsorum rege sancto factam; quo illi dono valde laetantur. Hisque suo ritu peractis, ab illa precationis domo discedunt. Redit autem Rex alia via quam venerat secundum Tigris fluuii ripam ipse solus. nam ceteri principes ac ministri nauigiis per fluuium vecti redeunt ante illum, donec ingrediatur in regiam. obseruatur autem via illa diligenter toto anno per custodes, ne quis forte eo loco ingrediatur, qui pedum illius vestigiis sacer est. Toto ipso deinceps anno intra regiam continetur nusquam alio egressurus. Est autem ipse puris moribus, atque iuxta suam illam sectam iustus et pius. Construxit vero palatium vltra fluuium in ipsa ripa brachii cuiusdam Euphratis fluminis, qui ex altero vrbis latere fluit; in quo magnas domos aedificauit et fora, atque etiam xenodochia, aegrotantibus pauperibus curandis idonea: numeranturque ibidem sexaginta fere medicorum apothecae, omnibus necessariis aromatum, medicamentorum et aliarum opportunarum rerum generibus ex regia domo allatis abunde omnes instructae. Exhibetur itaque aegrotantibus cunctis eo deductis regio sumptu quidquid ad medicinam et victum atque integram curationem commodum esse censetur, donec confirmari contingat. Est praeterea eodem in loco palatium quod DAR ALMARAPHTHAN vocatur,

catur, hoc eſt, domus miſericordiae, furioſis omnibus in regione inuentis includendis, vinciendis et curandis deſtinatum: quorum ſinguli ferreis compedibus ligantur, donec ad mentem redeant: tunc enim ſinguli in domum ſuam reuerti permittuntur, curantibus id et examinantibus per ſingulos menſes viris, quibus id muneris a rege demandatum eſt. Haec omnia eleemoſynae ac beneficii cauſſa a rege illo inſtituta ſunt conferendi communiter omnibus eo venientibus, qui vel inſania vel alio morbo laborent. eſt enim, vt diximus, ingenio miſericordi et humano, bonaeque mentis. In eadem autem vrbe Bagdad dicta Iudaei circiter mille ſunt, in ſumma pace et quiete agentes, et honeſte valde tractati ſub manu regis illius Magni cognominati; inter quos doctiſſimi viri aliqui ſunt Synedriorum primarii, in Moſaicae legis ſtudio apprime verſati. Sunt vero ibidem Synedria decem, quorum maximi caput eſt Semuel, filius Heli: deinde vero aliorum Synedriorum capita ſunt, Gaon Sagan Leuites ſecundi: tertii vero, Daniel Sod: quarti Eliezer Hahhaber: et Eliezer Ben Tſamahh caput ordinis, qui a Samuele propheta originem ducit, et cum fratribus ſuis muſicis inſtrumentis docte ludit, hoc eſt pſalteriis eadem arte quae domo ſanctuarii adhuc ſtante in vſu erat: hic eſt caput Synedrii quinti: ſexti autem Hhaſadias flos ſociorum: Haggaeus Hanaſſi ſeptimo praeeſt

praeest Synedrio: octauo Esdras: nono Abraham cognomento Abutahar: decimo atque vltimo Zachaeus Ben Basathnai. Hi omnes vacantes dicuntur, eo quod nulli alii rei operam dent, praeterquam administrandae societati. Exercent autem iudicia, iusque dicunt omnibus ad se venientibus Iudaeis illius regionis cunctis hebdomadae diebus praeter secundum diem, quo cuncti conueniunt coram magno Samuele Synedrii capite Iacobitarum decore, qui vna cum decem illis vacantibus, Synedriorumque capitibus omni petenti ius dicunt. Omnium tamen horum supremus est Daniel filius Hhasdai appellatus Captiuitatis caput, cui Genealogiae liber est a Dauid vsque deductus. Hic a Iudaeis Dominus noster appellatur, atque Captiuitatis caput. Idemque ab Ismaelitis Sidna Ben Dauid, id est dominus noster filius Dauid, dicitur. habetque magnam auctoritatem in omnes Israelitarum congregationes sub manu Amir Almonin Ismaelitarum domini: cuius hoc decretum fuit ad posteritatem etiam suam pertinens, addito ac tradito etiam sigillo auctoritatis in omnia Israelitarum collegia, quaecumque intra legis suae ditionem continerentur, cui honoris caussa omnes homines tam Ismaelitas, quam Iudaeos assurgere salutemque dicere iussit, et cuiussuis etiam factionis gentes; ei qui secus fecerit, centum plagarum mulcta esto. Hic vero cum magnum

Captiuitatis caput, quis et qualis.

regem

regem visurus prodit, magno equitum ex Iudaeis & Gentibus comitum numero stipatur praecone praeeunte his verbis: Expedite viam Domino filio Dauid, vt dignum est; idque ipsorum lingua clamant. Ipse autem equo vehitur sericeis vestibus acuque pictis indutus: caput cydari magna ornat, super cydarim sudarium album, super sudarium torquem gestat. Atque collegia omnia Israelitarum regionis Senaar et Persiae et Charsan et Seba, quae nunc Aliman dicitur et Diarbeich, et omnis Mesopotamiae regionis, et prouinciae Kut, cuius incolae in Ararat montibus habitant, et regionis Alaniae, quae montibus circumcluditur altissimis, nullum habent accessum aut exitum praeter ferreas portas ab Alexandro constitutas; in qua gens illa Alan dicta habitat: regionum praeterea Sicriae et omnis terrae Thogarmin vsque ad montes Asna, et Gerganaeorum prouinciae vsque ad Ghihon flumen. sunt vero Gerganaei iidem qui Gergasaei populi, nunc Christiani, et vsque ad portas regionum atque terrarum optimarum; vsque ad Indiam, inquam, harum omnium regionum collegia ex huius viri captiuitatis principis facultate et potestate caput sibi et ministrum singula eligunt: qui delecti ad hunc veniunt auctoritatem et manuum impositionem accepturi: eidemque dona et munera ex omnibus terrae finibus deferuntur. Sunt vero huic merito-

Senaar Persia. Charsan. Seba.

Alania.

Sicria. Montes Asna. Gerganaei, qui et Gergasaei.

riae domus siue publicae, quas Fondacos vocant: sunt horti et pomoeria Babylone atque praedia complura a maioribus suis hereditario iure accepta; nemo autem hominum quidquam ab illo aut rapere aut auferre audet. Habet idem meritorias et negotiationis domos in vsum Iudaeorum. ex foris etiam et ex mercatoribus terrae tributum certum quotannis capit, praeter id quod e remotis regionibus allatum accipit. Ditissimus itaque est, et tam in sacris quam in doctrinalibus libris diligenter versatus ac doctus: pascit vero multos ex Israelitis quotidiano conuiuio. Quo vero tempore huius familiae vir aliquis constituitur in Caput captiuitatis, magnam pecuniae vim profert et donat regi ipsi primum, deinde principibus et magistratibus. Eo autem die quo rex illi manum auctoritatis et principatus concedendi caussa imponit, paratur secundus regis currus et insternitur ascensuro; atque a regia in propriam domum deducendo magna cum pompa atque cantu et tympanorum tibiarumque sono et strepitu. Ipse vero manuum impositionem exercet erga Synedrii viros. Sunt autem illius metropoleos habitatores Iudaei sapientum discipuli, ac perquam ditissimi: atque synagogae octo et viginti numerantur in ipsa Bagdad vrbe et in Parech siue suburbano quod trans Tigrin est. Interlabitur enim flumen metropolim ipsam. At vero magna illa synagoga, quae ad illum virum

Creandi Caput Captiuitatis ritus.

Synagogae 28 in Bagdad.

virum Captiuitatis caput pertinet, marmoribus constructa est, variis et elegantissimis omnium colorum auro argentoque exornatis, in ipsis vero columnis Psalmorum versus aureis litteris incisi leguntur: Ibidem porro ante arcam ordines subselliorum decem sunt marmoreis gradibus distincti; in quorum supremo Caput captiuitatis cum Dauidicae familiae primoribus considet. Est autem metropolis ipsa magna, in qua etiam ciuitas castelli instar continetur, millium trium ambitu munita. regio palmetis, hortis et pomoeriis abundat totius terrae Senaar elegantissimis, et generosissimis; omnium regionum mercatoribus et negotiatoribus frequens est, alitque viros doctos et philosophos, omniumque mathematicarum artium, diuinationum et incantationum studiosos. Inde profectus duobus itineribus in Gehiagan veni, cui nomen antiquum Resen fuit, vrbi quondam magnae atque percelebri, in qua Israelitae quinquies mille fere sunt: habentque synagogam magnam cum coemiterio synagogae proximo: et in coemiterio speluncam doctorum quorundam antiquorum sepulcris insignem. Hinc vno itinere Babel illa antiqua distat triginta miliarium spatium complexa, iamque funditus euersa, in qua Nabuchodonosoris regiae ruinae adhuc visuntur, hominibus inaccessibiles propter varia et malefica serpentum draconumque ibidem degentium genera. ab his ruinis non

Gehiaga alias. Resen.

Babel.

Nabuchodonosoris regiae ruinae.

non plusquam viginti millibus passuum distantes habitant Israelitarum viginti millia, qui in synagogis preces fundunt; in quibus praecipua est illa Danielis superior antiqua contignatio quadris lapidibus lateribusque constructa, eademque materia templum et palatium Nabuchodonosoris et caminus ignis ardentis, in quem Hananias, Misaël et Azarias coniecti sunt. Atque omnia haec in valle cunctis notissima visuntur. Inde ad Hhilan miliaria quinque peraguntur, vbi Israelitarum decem fere millia sunt, in quatuor synagogas diuisa, ex quibus vna Mairi ibidem sepulti fuit: cui proxima etiam sunt sepulcra magni Zeghiri filii Hama et magni Maari: conueniuntque eodem Iudaei quotidie precationis caussa. Illinc quatuor miliaria sunt ad turrim quam diuisionis filii aedificare coeperant, quae eo genere laterum construebatur, quod Arabice Lagzar vocatur. Fundamenti longitudo duo fere miliaria continet, murorum vero latitudo ducentorum quadraginta cubitorum est: vbi vero latissima, centum cannas continet. inter denarum cannarum spatia viae sunt in spirarum formam per totum aedificium productae; quibus conscensis e supremo loco agri prospiciuntur ad miliaria viginti. quippe regio ipsa latissima ac planissima est. Atqui aedificium hoc igni de caelo quondam tactum atque ad infima vsque excisum est. Hinc dimidio itinere Naphahh est,

Hhilan.

Turris Babel.

Naph-ahh.

est, vbi Iudaei ducenti fere sunt: ibidemque synagoga est magni illius Isaac, cognomento Naphhaei, qui e regione sepultus est. Inde tribus leucis Ezechielis Prophetae synagoga est, secundum Euphratem fluuium; atque in eodem loco e regione synagogae turres numero sexaginta; interque singulas turres singulae quoque sunt synagogae, atque in synagogae atrio arca est; et post synagogam Ezechielis filii Buzi sacerdotis monumentum sub magna et pulcherrima testudine a Iechonia Iudae rege constructa vna cum triginta quinque millibus Iudaeorum, qui illum ab Euilmerodak ex carcere liberatum secuti sunt. Estque locus hinc inter fluuium Cobar et flumen Euphratem. Atque in muris ipsis Iechonias et qui cum eo venere, incisi sunt; Iechonias primus, postremus vero Ezechiel. Estque locus hic sanctus ad hunc vsque diem, eoque loci certo tempore multi precationis caussa conueniunt, ab initio anni ad expiationum vsque festum: ibidemque laetissimos agunt dies. Atque princeps ille vir, quem Captiuitatis caput nominant, cum aliis Synedriorum capitibus huc etiam ex Bagdad veniunt, omnesque in agro illo commorantur ad viginti duo miliaria variis locis tentoria figentes. Adueniunt praeterea mercatores Arabes, celebranturque nundinae frequentissimae. Producitur autem hoc tempore liber magnus auctoritate atque anti-

Ezechielis prophetae synagoga.

Cobar fluuius.

antiquitate celeberrimus ab Ezechiele conſcriptus Propheta, in quo expiationis die legitur. Atque ſuper Ezechielis ſepulcrum lampas perpetuo ardet nocte atque die; ex quo primum ab ipſo eodem propheta incenſa fuit, cui fila et oleum diſpenſantur ac temperantur aſſidue. Eſt etiam ibidem magna quaedam ſancta aedes plena libris conſeruatis, tam a domus primae quam a ſecundae tempore; eſtque moris et fuit, vt qui liberos non habuerint, eo loco ſuos libros conſecrarent. Nuncupantur praeterea vota eo loco exoluenda a Iudaeis in Media et Perſia habitantibus. Iſmaelitarum quoque principes viri huc confluunt precationis cauſſa, apud quos magna eſt Ezechielis prophetae auctoritas et reuerentia, cuius loci nomen illorum lingua Dar melihha, hoc eſt congregationis domus: eodemque Arabes omnes precationis cauſſa veniunt. ab hoc loco ad dimidium miliare Hananiae, Miſaël et Azariae ſepulcra cum ſingulis magnis et pulchris fornicibus viſuntur. Quamquam vero bellum in regionibus illis accidat, nemo mortalium eſt qui haec loca vel violare vel tangere audeat; neque ex Iudaeis neque ex Iſmaelitis, propter Ezechielis prophetae reuerentiam. Inde trium miliarium via conficitur ad Alkotſonath vrbem, in qua trecenti fere Iudaei ſunt, ibidemque ſepulcra magni Papha et Huna et magiſtri Ioſeph Sinaei et Ioſeph filii Hhama. Atque e regio-

Sepulcra Hananiae. Miſaelis et Azariae.

Vrbs Alkotſonath.

regione singulorum singulae synagogae sunt, in quas Iudaei quotidie precationis caussa conueniunt. Hinc in Ghein Saphta leucae tres sunt, vbi Nahum Elcusaei prophetae sepulcrum est. Inde vnum iter est ad Caphar le-Paras locum illustrem sepulcris Hhassidai, et Ghakiba et Dusa. Illinc itinere dimidio Capharmehamidbar distat, vbi magister Dauid et Iehuda et Kuberia et Sehora, et Abba sepulti iacent. Inde vnum iter in fluuium Liga est, vbi Sedechiae regis sepulcrum est magna fornice ornatum. Hinc vnum iter ad Kupha vrbem Iechoniae regis monumento insignem magni operis, cui e regione synagoga aedificata est; suntque hoc loco Iudaeorum fere septem millia. Inde vero sesqui-itinere Suria est, quam antiqui Matha Mahhasia vocarunt, in qua Captiuitatis capita & Synedriorum primores initio fuere, ibidem vero sepulti sunt magni viri Sarica et eiusdem filius Haai et Saadias Piiumi et Semuel filius Hhophni sacerdos et Sephanias filius Ghussi filii Godoliae propheta, compluresque alii ex capitibus captiuitatis principes familiae Dauid et Synedriorum primates; qui illic commorati sunt initio ante excisionem. Hinc duo itinera ad Sephithib conficiuntur, quae in Nahardagha sita est. Inde vero sesqui-diei iter in Elnachar est, quae eadem Pumbeditha ad Euphratis ripam sita, vbi synagoga visitur illius qui antonomatice Rab dictus

Ghein Saphta.
Caphar leparas.
Capharmehamidbar.
Liga fluuius.
Sedechiae sepulcrum.
Suria.
Matha Mahhasia.
Sephaniae sepulcrum.
Sephithib.
Nahardagha.
Elnachar.
Pumbeditha.

dictus est, et Samuelis, iuxta quam etiam ipsorum monumenta sunt. Illinc via per solitudines facta regio Seba petitur, quae nunc terra Aliman dicitur, regioni Senaar a septentrione confinis, cuius tractus vnum et viginti itinera continet per solitudines facienda: atque in hac regione Iudaei illi habitant qui Recab filii appellantur, alio nomine viri Theima. est enim Theima illorum ditionis initium, quos nunc Hanan Hanassi gubernat. Est autem vrbs ipsa Theima magna et frequens. Horum regio inter montes, qui septemtrionales dicuntur, sedecim dierum itinere protenditur; vrbibus magnis et munitissimis exculta, nullique externae gentis iugo subdita: vnde prodeuntes incolae finitimas et remotiores etiam gentes diripiunt omnes quotquot sunt vsque ad Arabes qui cum ipsis foedus habent. Sunt vero Arabes hi qui habitant in tentoriis, mobilesque sedes tenent in solitudinibus regionis ipsorum, alienasque terras praedae caussa inuadunt in omni illa regione Aliman; atque ii Iudaei quos modo indicabamus, agros colunt, et pascua; armenta atque pecora possident, latissimam regionem et vastam obtinentes, qui ex omnibus prouentibus suis decimas dant in vsum discipulorum sapientum, doctrinae atque concionibus perpetuo vacantium et Pharisaeorum, qui Sion lugent et Ierosolymam deplorant, carnibus ac vino perpetuo abstinentes, pul-

Seba. Aliman. Recab filii. Theima.

pullatisque vestibus semper induti, specubus aut casulis inhabitantes, cunctisque diebus praeter Sabbatum ieiunantes, assiduis etiam precibus Dei misericordiam et nomen sanctum implorantes erga liberationem captiuitatis Israel. Idem etiam precantur Iudaei omnes viri regionis Theima et Telimaas, in qua centum fere millia Iudaeorum sunt: inter quos Selomoh Hanassi, hoc est summus, eiusdemque frater Hhanan Hanassi, ex progenie Dauid regis: quod deductus per saecula familiae codex indicat. Atque hi omnes scissis vestibus incedunt, quadragenisque diebus ieiunant omnium Iudaeorum in captiuitate degentium caussa. Habet autem prouincia illa vrbes circiter quadraginta, oppida ducenta atque castella centum. Metropolis vero et caput Thenai est, atque in vrbibus illis omnibus habitantium Iudaeorum summa tercentum fere millia continet. Porro metropolis illa amplissimis muris latissime ambitur, adeo vt agros intra se habeat, et frumenti serendi atque metendi commoditatem copiamque faciat. Quindecim enim miliaria longitudine, totidem etiam latitudine continet. Estque ibidem palatium Salomonis Hanassi. atque vrbs ipsa pulcherrima est, hortis et pomoeriis instructa amoenissimis. Nec minus etiam Tilmaas et pulchra et magna vrbs est, quam Iudaei circiter centies mille incolunt, inter duos altissimos montes sita, et opere muni-

Theima.

Telimaas.

Thenai metropolis regionis Theima.

Tilmaas.

tiſſima, doctis et prudentibus viris frequens; ex quibus multi diuites ſunt. A Tilmaas tribus itineribus Chibar diſtat: aiunt vero hos eſſe Reuben et Gad, et dimidiam Manaſſe tribus a Salmanaſar Aſſyriorum rege captas et huc tranſmiſſas, aedificaſſeque vrbes has magnas et munitiſſimas, atque ex his locis prodeuntes bella geſſiſſe et gerere cum finitimis regnis omnibus; nullumque hominem ad ipſos accedere poſſe propter vaſtas ſolitudines octodecim dierum itinere importuniſſimas. Atque Chibar magna etiam vrbs eſt, in qua Iſraelitarum quinquaginta millia habitant, ex quibus multi docti viri ſunt et ſtrenuiſſimi complures qui cum filiis Senaar bellum gerunt, et cum Septemtrionalibus regionibus et incolis Eliman finitimis. Eſt autem haec Hodu, hoc eſt Indiae, a qua viginti et quinque itinera conficiuntur ad Viram fluuium, qui regionem Eliman interfluit, vbi Iſraelitarum tria millia habitant. Hinc profectis ſeptem itinerum confecta via, Neaſar venitur, vbi ſepties mille Iſraelitae ſunt, inter quos Nedain magnus habetur vir. Inde vero quinque dierum iter ad Boſran vſque conficitur ad Tigrin flumen ſitam, in qua Iſraelitae mille ſunt, ex quibus complures ſapientum diſcipuli, multique diuites habentur. Hinc duobus itineribus Samura fluuius diſtat, Perſiae regionis initium cum vrbe eiuſdem nominis, in qua mille et quingenti Iudaei habitant.

Chibar. Reuben. Gad. Manaſſe. Chibar. Hodu. India. Vira fluuius. Neaſar. Boſra. Samura.

Eſt-

Estque locus ille insignis Esdrae scribae sacerdotis sepulcro, qui Ierosolymis ad Artaxersen regem legatus veniens, illic est vita defunctus. ante illius vero sepulcrum magna synagoga ab antiquis est aedificata, atque ex altero latere Ismaelitae precationis aedem construxere propter summum erga virum illum affectum: quae etiam res in caussa est, vt Iudaei ab Ismaelitis eo loci ad preces confluentibus diligantur. Inde quatuor miliaribus Chuzsethan distat, Elam olim dicta, Elamitarum patria, maxima vrbs, verum magna sui parte iam excisa, vasta et inhabitata, inter cuius ruinas Susan Habira adhuc spectatur Assueri regis palatium maximum, pulcherrimo opere constructum, multis adhuc manentibus regii admirandique aedificii partibus et artis exemplis. Sunt in hac vrbe Iudaei septies mille, qui in synagogis congregantur numero quatuordecim; et ante vnam ex illis Danielis sepulcrum est: interfluit autem Tigris fluuius vrbem ipsam et habitationem etiam Iudaeorum diuidit: atque altera ex parte fluminis ditissimi omnes sunt, quicumque inhabitant, foraque habent negotiis et mercibus instructissima: ex altera vero tenuiores pauperioresque omnes, nulla fora, commercia nulla habent, neque hortos aut pomoeria, adeo vt aliquando inuidiam conceperint aduersum alteros, existimauerintque diuitias et vbertatem illis ex Danielis prophetae

Esdras. Artaxerses. Esdrae sepulcrum. Chuzsethan. Elam. Susan Habira Assueri regis palatium. Danielis sepulcrum.

phetae ibidem sepulti vicinia effici: quamobrem ab illis postularunt, vt Danielis sepulcrum ad suam regionem transferri permitteretur. quod cum constanter negatum esset, ad contentionem primum, deinde ad dimicationem atque pugnam deuentum est, magna cum vtriusque partis clade ad multos vsque dies, donec tandem lassi vtrique in conditiones et pacta conuenere, vt alternis annis Danielis cippus ad alteram partem transferretur: idque aliquandiu factum repetitumque fuit, sed accidit interim, vt Senigar Saa filius Saa regum omnium Persarum Imperator summus eo veniret, cuius imperio quinque et quadraginta regna parent. Hic Arabice Sultan alporas alkabir, hoc est magnus Persiae rex appellatur: extenditur vero huius ditio ab ostio fluminis Sumra vsque ad Semarchoth vrbem, et ad fluuium Gozen, et ad regionem Ghisbor, et vrbes Mediae et montes Hhaphton, et ad regiones illas optimas, vbi animalia aluntur, ex quibus myrrha soluta remittitur. Continetque imperatoris huius ditio omnis mensium quatuor, totidemque dierum iter. Is igitur cum in hac vrbe aliquando commoratus Danielis cippum ex altera in alteram vrbis regionem transferri, atque cum illo complures ex Iudaeis et Ismaelitis commigrare vidisset, caussa rogata et cognita indignum iudicauit, vt huiusmodi aduersum Danielem irreuerentia toleraretur:

Senigar Saa Persarum imperator.

Sumra flu. Semarchoth. Gozen. Ghisbor. Myrrha.

verum

verum spatium inter vtramque partem diligenter dimensus, Danielis cippum in arca magna vitrea impositum in medio illo loco ex trabe maxima aeneis catenis suspendit, aedemque construi iussit magnam synagogae vsui dicatam, omnibusque totius orbis hominibus patentem, neminique negatam mortali, siue Iudaeo siue Aramaeo eo precationis caussa ingredi volenti. Pendet autem arca illa ex trabe vsque in hodiernum diem. Porro Imperator ille edicto vetuit, ne quis pisces e fluuio caperet ad vnum ex inferiori parte, alterum vero ex superiori, miliare, propter Danielis reuerentiam et cultum. Hinc ad Robad-Bar tria itinera sunt, vbi etiam Israelitarum viginti fere millia habitant: in quibus complures sapientum discipuli ac diuites multi sunt: verum hi sub potestate alieni principis tamquam captiui degunt. Inde vero duobus itineribus in fluuium Vaanath venitur, vbi quater mille fere Iudaei sunt. post quartum autem ab illo fluuio iter, regio Molhhaath est, cuius incolae Ismaelitarum doctrinae non credunt. habitant vero in montibus maximis, parentque Seniori, cui sedes est in regione Alchesisin: suntque inter hos duo Israelitarum collegia, atque cum ipsis vna in bellum prodeunt. Neque vero hi Persiae regis iugum ferunt, vtpote qui in editissimis montibus degunt: vnde descendentes in finitimas regiones excurrunt, et praedas agunt;

Robad-Bar.

Vaanath.

Molhhaath.

Alchesisin.

agunt; rursusque in montes suos reuertuntur. nullius hominis vim aut impetum timent. Iudaei vero qui inter hos habitant, sapientum discipuli sunt, et Babylonicae captiuitatis capiti obediunt. Hinc dierum quinque

Ghaaria. iter conficitur ad Ghaarian, vbi Israelitarum quinque et viginti millia sunt. Estque initium vniuersitatum habitantium in montibus

Hhaphthon. Media. Hhaphthon, quas numero plusquam centum esse constat. incipit vero his locis Mediae regio. Suntque hi ex prima captiuitate a Salmanasaro rege abducta. loquuntur autem Chaldaice, suntque inter hos sapientum di-

Ghamaria. scipuli. Est autem Ghamaria metropolis ad Persiae regnum pertinens, vicina his vno itinere. Sunt vero hi sub Persiae regis ditione et potestate, cui tributum pendunt. Estque tributum constitutum in omni Ismaelitarum regno, vt singuli mares decimo quinto anno maiores singulos aureos amircos quot-

Amircus nummus. Nummus aureus Morabitinus Hispanus. David Elroi historia. annis exoluant. Atque Amircus aureus nummus sesquinummum aureum Hispanum Morabetinum valet. Duodecimus nunc annus agitur, ex quo vir quidam nomine Dauid Elroi ex vrbe Ghamaria surrexit, qui Capitis captiuitatis illius Hhasdai, et capitis Synedrii Leui Iaacob Decentis discipulus fuerat in metropoli Baghdad, euaseratque doctissimus in lege Mosis, et in doctrinalibus libris, et in omni etiam externa sapientia, et in Ismaelitica lingua, atque scriptura, atque in magorum

et

et incantatorum libris. Hic igitur eam sibi mentem induit, vt aduersus Persarum regem arma moueret, et collectis Iudaeis iis, qui in montibus Hhaphthon habitabant, bello gentibus omnibus illato Ierosolymam vsque expugnaturus peteret. Id autem, vt Iudaeis persuaderet, mendacibus signis vsus est, affirmans a Deo sese esse missum Ierosolymam expugnandi, atque ipsos ex gentium iugo soluendi caussa; adeo vt apud multos ex Iudaeis fidem sibi conciliarit, et nomen obtinuerit Messiae ipsorum. Eius rei fama audita Persarum rex ipsum ad colloquium vocauit, quem ille intrepidus omnino adiit; et rogatus an ipse Iudaeorum rex esset, constanter ita esse respondit; atque extemplo a rege comprehendi et in carcerem intrudi iussus est: quo qui regia sententia includuntur, per totam vitam continentur. est autem carcer ille in Dabasthan vrbe Gozen flumini maximo proxima. Post triduum vero principum et ministrorum concilio per regem coacto, in quo de eiusmodi nouarum rerum molitione a Iudaeis inita consultari agique decretum fuerat, repente Dauid ille existens affuit, e carcere sua sponte nullo homine conscio solutus; quem cum rex vidisset, admiratus rogauit: Quis nam te huc adduxit, aut e carcere liberauit? cui ille respondens: Sapientia, inquit, mea, et industria mea. Nihil enim ipse vel te, vel seruos tuos metuo. Tum vero vociferatus

Dabasthan.

rex,

rex, Apprehendite, inquit, hominem. cui principes atque ministri responderunt, illius vocem audiri quidem ab omnibus, speciem vero a nemine prorsus conspici. quamobrem illius sapientiam vehementer admiratus rex, obstupuit. ille vero aduersus regem ait: En ego viam meam facio, et praecedere coepit subsequentem se regem: proceres vero atque ministri omnes regem sequebantur. Cum autem ad fluminis ripam deuentum esset; Dauid, extenso quod gestabat sudario super aquas, insiliens traiecit, atque eodem tempore ab omnibus est conspectus, traiectionis spectaculum admirantibus, quem exiguis lintribus insequi et capere frustra tentatum est, ab omnibusque proclamatum, neminem in terrarum orbe incantatorem illi posse comparari: ille vero eadem die, dierum decem via confecta in Elghamaraian ininterpretabilis nominis virtute perueniens, quae sibi accidissent Iudaeis narrauit hominis sapientiam admirantibus. At vero Persarum rex Almirum Almunadinum Ismaelitarum Calipham summum nunciis in Bagdad missis huius rei certiorem fecit, orauitque vt Dauid Elroi per summum Captiuitatis caput et synedriorum proceres ab huiusmodi ausis auertendum curaret; alias nisi huic rei caueretur, Iudaeis omnibus in Persiae regno degentibus publicum exitium comminatus. Eius rei omnes vniuersitates regionis Persarum ingenti metu perculsae epi-

Elghamaraia.

epistolas ad summum illum virum qui Captivitatis caput habebatur, atque ad synedriorum omnium capita, quaecumque in Bagdad erant, miserunt in hanc sententiam: Cur nam moriemur in oculis vestris, tam nos quam vniuersitates omnes huic regno subditae? compescite, obsecramus, virum hunc, ne innocens sanguis effundatur. Igitur Captiuitatis caput, atque Synedriorum primores huiusmodi litteras ad Dauid conscripserunt. Scias volumus liberationis nostrae tempus nondum venisse, neque signa nostra fuisse adhuc spectata; non enim vento fortis efficitur vir. quamobrem praedicentes iniungimus tibi abstinere omnino ab istiusmodi consiliis, ausis et conatibus; sin minus, ab omni Israël eiectus esto. Monuerunt etiam per nuncios Zachai Hanassi, qui erat in regione Assur, et Iosephum Videntem cognominatum, Burhan alpelech, illic agentem, vt epistolis a se scriptis Dauid Elroi compesceretur; id quod ab illis diligenter est curatum. frustra tamen: quippe ille eam, quam instituerat, viam pessimam deserere noluit, donec rex quidam Togarmim surrexit Zinaldin dictus, qui Persarum regi paret, atque hic decies mille aureis nummis Dauidis Elroi socero missis, huic malo finem, occiso clam genero, imponere persuasit: quod ille cum se facturum recepisset, Dauidem domi suae in lecto cubantem gladio confodit; atque con- Zinaldin Turcarum rex.

F filio-

filiorum et calliditatis illius vanae hic exitus fuit. Neque vero illo extincto, Persarum regis aduersum illos montanos, aliosque ditioni suae subiectos Iudaeos ira sedata est: quamobrem Iudaei per legatos auxilium a Captiuitatis capite postularunt. ille itaque regem ipsum petens placidis et prudentibus orationibus placauit, et multis auri talentis oblatis atque datis, ita confirmauit, vt magna deinde vniuersae regioni quies contigerit. Ab hoc autem, quem descripsimus, monte decem itinera fiunt ad Hhamdan magnam, et Mediae regionis principem vrbem; in qua Israëlitarum circiter quinquaginta millia sunt: atque in illa vrbe e regione vnius ex synagogis Mardochaei et Esther sepulcra sunt. Hinc quatuor itineribus Debarzethaan distat, vbi Iudaei quater mille secundum Gozen fluuium habitant. Inde vero septem dierum iter conficitur vsque ad Asbahan metropolim vrbem maximam, duodecim miliarium spatium complexam, in qua Israëlitarum circiter quindecim millia sunt, quibus praeest magnus Salom, a Capite captiuitatis huic vniuersitati et ceteris omnibus, quae in Persidis castellis habitant, Israëlitis praefectus. Hinc profectus quatuor itinera ad Siaphaz confeci vrbem Persidis metropolim; atque adeo ipsam antiquissimam Persiden dictam, vnde nomen toti regioni factum, in qua Iudaei decies mille fere sunt. Ex Siaphaz itineribus septem

Hhamdan Media.

Mardochaei et Esther sepulcra.

Debarzethaan.

Asbahan.

Siaphaz.

Ginah

Ginah vrbs petitur, amplissimo loco sita secundum Gozen fluuij ripam, celeberrimo omnium gentium et linguarum commercio frequens, plano et latissimo solo, in qua Iudaei circiter octo mille sunt. Huius regni extrema vrbs Samarcheneth magna et celebris, a Ginah quinque dierum itinere seposita; vbi Israëlitarum quinquaginta millia sunt, quibus praeest magister Abdias Hanassi: in his multi sapientes et diuites sunt. Quatuor hinc itineribus Tubot metropolis petitur, in cuius silvis Muscus odoratus inuenitur. Illinc viginti atque octo diebus continuis via facta in montes Nisbon veni, qui fluuio Gozen defluenti imminent, atque Persidis regno adscribuntur; vbi multi ex Israëlitis sunt. Aiunt vero in illis vrbibus montium Nisbor quatuor tribus Israëlitarum habitare, in prima captiuitate a Salmanasar Assyriorum rege abductas, videlicet Dan, Zabulon, Asser, et Nephthali. sicut scriptum est: Et abduxit eos in Lahhlahh et Habor montes Gozen montes Mediae. Horum regio ad viginti dierum iter protenditur, multis vrbibus et castellis habitata, montana fere omnis, quam ex altero latere Gozen fluuius alluit. cultores autem ipsi nulli gentium jugo subsunt, sed a praefecto quodam reguntur, cui nomen nunc est Ioseph Amarcala Leuites. sunt vero inter eos discipuli sapientum. agros colunt, atque bella cum finitimis

Ginah. Samarchenet. Tubot. Muscus. Nisbon montes, siue Nisbor. Tribus quatuor. Lahhlahh.

filiis Chus gerunt, expeditionemque per solitudines faciunt. Foedera habent cum Copher Althorech ventorum cultoribus populis qui in solitudinibus vitam degunt. Hi neque panem edunt, neque vinum bibunt; sed crudis animalium tam immundorum quam mundorum carnibus vescuntur, iisdemque vel recentibus et adhuc sanguine viuo palpitantibus, vel etiam aridioribus, verum incoctis, rapta etiam membra ex animantibus viuentibus deuorant. Naso carent, sed nasi loco bina foramina in facie habent, quibus respirant: Israëlitis amici sunt. Accidit autem quintodecimo abhinc anno, vt hi magna manu Persiae regionem inuadentes Rai metropolim expugnauerint, et ingenti caede facta omnino vastauerint, direptisque domibus et agris praedam magnam per solitudines reuersi asportarint; cuiusmodi exemplum per multa saecula numquam in Perside visum vel auditum fuerat. Quamobrem Persarum rex vehementer iratus, illius gentis sibi vni primum infestae, maiorumque suorum temporibus nihil tale ausae, nomen e terris penitus abolendum esse decreuit. Collectis igitur in expeditionem copiis, ductorem aliquem quaerenti, cui gentis illius loca nota essent, sese vnus quispiam vltro obtulit, qui ex eadem gente se esse et illorum sedes nosse affirmaret. rogatus vero quid opus esset ad expeditionem faciendam, respondit opus esse commeatu

Copher Althorech.

Rai.

tu panis et aquae ad quindecim dierum iter, quos in solitudine vastissima consumi necesse erat: cuius consilium cum secuti quindecim itinera peregissent, cibo et potu hominibus et iumentis necessario defecti, tamen neque locum quo tenderent, neque vlla habitationis vestigia videbant Vocatus itaque ductor a rege cum rogaretur, vbi est verbum tuum, quo hostes nobis ostensurum te recepisti; sese a via aberrasse respondit: quamobrem irati regis iussu capite multatus est. coeperat vero iam hominum et iumentorum pars fame perire. Decreto autem regio edictum publice fuit, vt quidquid victus apud quemquam esset, cum sociis communicaretur, atque iumenta etiam diuiderentur; itaque hoc modo tredecim aliis diebus per solitudines pererratum, tandemque in montes Nisbor deuentum est, in quibus Iudaei habitant. Persarum igitur copiae in hortis et pomoeriis, quae plurima in loco erant, et secundum fontes conquieuerunt: erat vero anni hora, qua fructus maturi sunt. Comedebant igitur et vastabant, neminemque hominem ad se prodeuntem videbant: verum in montibus vrbes ac turres prospiciebant quamplurimas. Misit itaque rex duos ex ministris suis, qui rogarent, quaenam in montibus illis habitaret natio, atque ad eam omnino transirent, vel nauigio vel natatu transmisso flumine. Illi autem pontem inuenerunt magnum, instructis turribus munitum,

Montes Nisbor.

atque ostio occluso; vltra pontem vero vrbs magna erat. Clamantibus autem exploratoribus ante pontem, prodiit vir quidam; a quo rogati quid quaeritis, aut cuiusnam estis; non intellexerunt, donec interpres quispiam qui Persicam linguam nouerat, accessit: cui roganti responderunt, Persarum regis ministri sumus, missi vt quaeramus quinam vos sitis, et cui seruiatis. quibus ille respondit: Iudaei sumus, neminique regi aut principi ex gentibus seruimus; sed cuidam principi viro ex Iudaeis. Rogati autem de cultoribus ventorum filiis Guth ex Cophar Althorech, responderunt; Gens est nobis foedere coniuncta: quicumque autem illis nocere studet, nobis nocere eum velle arbitramur. Reuersi igitur ad regem exploratores, rem omnem retulerunt; qui vehementi timore correptus est. Postridie vero proelium Persidis regi a Iudaeis est denuntiatum, qui se non venisse aiebat ipsis bellum illaturum, sed Cophar Althorech hostibus suis. quod si ipsi pugnare secum vellent, sese vlturum eam iniuriam occisis omnibus Iudaeis qui in Persidis regno habitarent: exploratum enim sibi esse eos in illo loco fortiores se esse; orare praeterea ipsos, ne se pugna inuaderent; sed bello aduersus Copher Althorech experiri sinerent, venderentque ipsi commeatus et cibos exercitui commodos. Consilio itaque inito placuit Iudaeis Persarum regi acquiescere propter

pter Israëlitas omnes in illius regno habitantes. Admissus igitur rex cum exercitu omni dies quindecim apud illos honorificentissime exceptus peregit: interim vero rem omnem per nuncios et litteras Copher Althorech foederis sui compotibus Iudaei indicarunt: qua cognita illi coactis copiis, hostem ad montium transitus expectauere: aduenientemque Persen opportuno ipsis loco adeo ingenti clade affecerunt, vt cum exiguo numero fusum, in fugamque versum redire in suam regionem coegerint. Accidit autem, vt Iudaeus vnus ex hac prouincia Moses nomine ab equite quodam Persa dolo seductus Persidis regem sequeretur, atque vbi in Persidem esset deuentum, ab eodem equite in seruitutem redactus possideretur. Cum vero aliquando ii qui arcubus vtebantur, praesente rege luderent, indicatus est illi vnus Moses omnium iaculandi dexteritate praestantissimus: qui a rege per interpretem rogatus, conditionis suae rationem aperte exposuit: continuoque libertate donatus, purpureis et sericeis vestibus indutus, regiisque donis auctus est: postulatusque, vt ipsorum religionem susciperet, magnarum diuitiarum spe et conditione proposita, atque etiam praefectura apud regiam domum promissa. quod cum ille se facturum benigne negaret; tamen a rege apud Magnum Salom principem vniuersitatis Achphahan est collocatus; cuius etiam filiam

vxorem patre volente duxit: idemque ipſe Moſes mihi omnem hanc hiſtoriam narrauit. Atque ex his regionibus cum deflexiſſem iter, in regionem Cheuazthaan me contuli, quam Tigris fluuius alluit; qui inde delapſus, in Hodu, hoc eſt Indicum mare defluit, inſulamque Nekrokin ſub oſtium amplectitur, ſex dierum itineris ſpatium continentem; in qua vnicus tantum fons eſt, neque aliunde quam ex collectis imbribus bibitur; caret enim fluuiis; neque ſeritur aut colitur ager ille: eſt tamen celebris maxime commercio Indorum et inſularum in mari Indico ſitarum, et mercatorum regionis Senaar et Aeliman et Perſidis aduehentium eo genera omnia ſericae et purpureae veſtis, lini et bombacis, canabi et telae Indicae, quam Moch vocant, tritici, hordei, milii, auenae magnam copiam; omnia etiam ciborum, leguminum omnia genera, quae inter ſe commutant et vendunt. Indici autem mercatores aromatum copiam ingentem eo conferunt. Inſulani vero inſtitorum et interpretum munere inter ceteros funguntur, atque hac vna arte viuunt. Sunt vero in illo loco Iudaei circiter quingenti. Hinc naue conſcenſa ſecunda nauigatione decem diebus in Kathiphan ſum deuectus, vbi Iſraelitarum quinque millia ſunt: his locis Bdellius lapis inuenitur, miro naturae operae confectus. Quippe vigeſima quarta menſis Niſan ros in aquas quidam decidit, quem colle-

Cheuazthaan. Tigris. Indicum mare Hodu. Nekrokis.

Kathipha. Bdellius lapis. Luna Martii.

collectum incolae inuoluunt, et conclusum in mare coniiciunt sua sponte demergendum ad fundum vsque maris. medio autem mense Tisri duo homines funibus in mare ad fundum vsque demissi, reptilia quaedam collecta in auras deferunt; e quibus fissis et ruptis lapides illi proferuntur. Inde septem dierum itinere in Haaulam deueni, quod initium est regni Solem pro Deo colentium, gentis videlicet ex filiis Chus astrorum contemplatricis. Sunt autem atri coloris homines, sinceri et maximae fidei, tum in promissis et receptionibus, tum in donis etiam. His moris est, vt venientes ad se ex aliis remotis regionibus in portu receptos per scribas tres nominatim describendos curent, nominaque ad regem deferant: deinde ipsos etiam ad eundem deducant; quorum merces in suam ipsius fidem receptas rex in agro expositas relinqui iubet, nullo custode adhibito. Praeterea praefectus vnus in publica domo sedet, ad quem quidquid in tota regione cuipiam perire accidat, defertur, facileque a rei ipsius domino inde repetitum recipitur, modo certa signa indicentur, quibus perdita agnoscatur res. Atque haec fides in omni illo regno communis et publica est. Regio haec omnis a Phase vsque ad anni initium per totum vernum aestiuumque tempus maximo calore exaestuat. Quamobrem a tertia diei hora ad vesperam vsque homines

Augusti lunatione.

Haaulam a nostris vocatur Zeilan

Solis cultores.

Chussitae astrorum inspectores.

Pascha Iudaeorum

omnes in domibus conclusi latent. Postea vero lucernis et lampadibus per cuncta fora plateasque omnes incensis ac dispositis suas artes et operas exercent per totam noctem: id enim interdiu pro aestu facere minime queunt. Nascitur autem in hac regione piper arboribus per incolas plantatis in singularum vrbium agris. Sunt vero singulis proprii horti assignati et noti. arbuscula ipsa exigua est, semenque profert album, quod ab illis collectum in peluibus imponitur, atque calida aqua madefactum Soli exponitur, vt exsiccetur, et obduratum conseruari possit: atque ita nigrum contrahit colorem. inueniuntur ibidem cinnamomum et zinziber, compluraque alia aromatum genera. Huius regionis incolae suos mortuos non sepeliunt, sed medicamentis et aromatibus variis conditos in sedibus collocant, retibusque amiciunt certa serie secundum singulas familias dispositos: arescit autem illis caro cum ossibus, et adeo rigescit, vt viuentibus etiam similes esse videantur. Singuli vero ex viuentibus maiores suos a multis annis deducta serie agnoscunt. Colitur autem ab his Sol aris frequentibus et magnis extra vrbem per omnia loca ad dimidium miliare exstructis. Summo itaque mane communiter excurritur aditurque Sol, cui in cunctis aris simulacra sunt sacrata ad similitudinem orbis solaris magicis artibus constructa. exoriente autem Sole

Piper.

Quomodo mortuos suos curent.

Sole orbes illi incendi videntur magnoque ſtrepitu ſonant. Habent autem ſinguli ſingulas acerras in manibus, tam feminae quam viri; omneſque pariter thura Soli adolent. Haec via illorum ſtultitia ipſis. Sunt vero apud hanc gentem in omnibus locis Iudaei, quorum ſumma vt maxime ad mille domos in vniuerſum protenditur, non minus atro colore quam indigenae ipſi; viri tamen boni ac ſimplices ſunt, praeceptorumque cultores qui Moſis legem obſeruant, et prophetas legunt; doctrinalium vero librorum et conſuetudinis non omnino expertes habentur. Ex horum regione profectus in inſulas Chenerag duobus et viginti diebus nauigaui, quarum incolae ignem colunt: appellanturque Dugbiin: inter eos vero habitant Iudaeorum viginti tria millia. Habent autem Dugbiin ſacrificulos ſuos per ſingula loca in templis ipſorum ſuperſtitioni dicatis: ſunt vero huiuſmodi ſacrificuli omnium ariolorum et incantatorum totius orbis terrae peritiſſimi in omni vanitatis huius genere. Ante ſingula autem fana campus magnus et latus eſt, in quo ingens ignis omnibus diebus ardet, quem ipſi Elhotha vocant: ſolent autem filios ſuos per hunc ignem tranſmittere expiandi cauſſa: mortuos etiam ſuos in medium rogum coniiciunt exurendos. Sunt praeterea ex terrae magnatibus, qui ſeſe viuos igni deuouent. Cum vero quiſpiam horum familiaribus et neceſ-

Chenerag.

Dugbiin.

Ignis cultus.

Elhotha.

necessariis atque propinquis suis huiusmodi sibi institutam deuotionem indicat, continuo summa omnium gratulatione et communi voce audit: Beatus tu, et bene tibi erit. Igitur quo die votum exoluendum est, magno conuiuio primum exceptus, si diues fuerit, equo vehitur; sin vero pauperior, pedes suorum aliorumque turba comitatus ad campi vsque initium deducitur, vnde cursu inito in ignem insilit: tum vero familiares cognatique omnes et consanguinei tympanis et choreis summa cum laetitia exultant et ludunt, quoad ille omnino combustus fuerit. Triduo autem post, duo ex praecipuis sacrificulis illius domum adeuntes, familiae omni domum parari praecipiunt patri ipsorum eadem die ipsis affuturo. Aduocantur igitur ex ciuitate testes aliquot, et ecce Satan illius speciem imitatus adest quem vxor et filii rogant quemadmodum cum illo in illo altero saeculo agatur. quibus ille respondens; Veni, inquit, ad socios meos, a quibus non excipior, donec ea exoluam, quae familiaribus et propinquis debeo meis: extemplo filiis res distribuit suas, iubetque debita omnia creditoribus persolui, et a debitoribus quidquid debeatur, exigi, testibus omnia ipsius verba et mandata excipientibus atque describentibus, a quibus tamen non videtur: tum vero se viam suam repetere dicens, euanescit. huiusmodi itaque errore, mendacio et fraude sacrificulorum illorum

Ignicolarum error.

eal-

calliditate et artibus magicis extructa, vanitatem suam gens haec tuetur ac mordicus tenet; seseque nationum omnium terrae beatissimam esse iactat. Ab his insulis quadraginta dierum nauigatio suscipitur transire volentibus in regionem Sin, quae pars orientalis est: sunt vero qui dicant mare illud quo iter fit, esse mare excisum siue fretum, interdum aestuosissimum astro Chesil subiectum, cuius vi tantus nonnumquam excitatur ventus, vt nulli mortalium nauigando superari possit, aut effugi: intrudit enim nauigia in ipsas maris angustias, vnde extricari et effugere non possunt; haerentque diutius quoad commeatu omni absumpto homines pereant. neque vero raro naues hoc modo periclitantur: verum huic incommodo hominum industria prospectum est, atque euadendi ratio est adinuenta, quam cognoscere non fuerit iniucundum. Sic autem res habet: Boum coria integra quamplurima in nauibus imponuntur, nauigantium hominum numero paria; qui cum vento acti in illas angustias intruduntur, singuli singula subeunt; atque collo introrsum complicato, ita colligant, vt aquae aditus obcludatur: tum sese rotantes et mouentes in mare e nauigio deiiciunt. quos cum maximae aquilae illis regionibus familiares gryphes dictae prospiciunt, boues aut animalia alia esse putantes, aduolantes eripiunt, atque in aridam asportant: tunc vero depo-

Sigarum regio

Fretum Sinarum. Chesil. Orion.

sitis

ſitis in valle vel monte incumbunt, ut ipſis diſruptis paſcantur. verum opportuna celeritate vſus qui intra corium includitur homo, feram ipſam gladio confoſſam vulnerat et occidit: atque hoc pacto complures euadunt.
Gingala. Illinc tribus itineribus in Gingalan inſtituitur nauigatio, quae diebus quindecim per mare conficitur, vbi Iſraelitae fere mille ſunt.
Cholan. Hinc ſeptem dierum nauigatione in Cholan veni, vbi nullus ex Iſraelitis eſt. Inde vero
Zebid. duodecim diebus in Zebid, in qua regione
Hodu mediterranea. pauci Iudaei ſunt. Hinc octo diebus in Hodu mediterraneam, hoc eſt Indiam Aethio-
Baghdaan. Gheden. picam, quae ſuae gentis vocabulo Baghdaan dicitur, eadem eſt Gheden, quae regioni
Thelaſſar. Thelaſſar adſcribitur: in qua regione maximi altiſſimique montes ſunt; in hiſque multi ex Iſraelitis habitant nulli gentium iugo ſubiecti: habentque vrbes et turres in montium dorſis extructas, vnde deſcendentes armata ma-
Hamaghtham. nu regionem Hamagtham bello infeſtant,
Lubia. Lubii. quae eadem Lubia eſt ditionis Edom, cuius incolae Lubii ſiue Lybies vocantur: qua ſaepe direpta et expoliata Iſraelitae in montes ſuos ſeſe recipiunt, vbi a nullo mortali bellum ſibi inferendum timent. Ex iis vero Iſraelitis qui in hac regione Ghadan ſedes habent complures in Perſiden et in Aegyptum
Azzuan regio. negotiorum cauſſa iter faciunt. Inde ad regionem Azzuan dictam viginti dierum iter
Piſſon conficitur per ſolitudines Seba ſecundum Piſ-

ſon

ſon fluuium, qui ex montibus Chus, id eſt flumen.
Aethiopiae, deſcendit. Habent autem hi Chus.
Azzuanaei regem qui Iſmaelitide lingua Sultan alhhabas vocatur. Horum hominum pars quaedam belluarum more viuit, herbiſque paſcitur apud Piſſonis fluminis ripas inuentis; nudi per agros vagantur, ita vt a ceterorum hominum ſenſu ac mente remoti eſſe videantur. concubitu vtuntur promiſcuo et obuio, nulla cognationis, neceſſitudinis, familiaritatis aut aetatis vel ordinis ratione habita: regionem inhabitant calidiſſimam. hos cum ceteri Azzuanaei praedae cauſſa impetunt, obiectis in agro pane triticeo, paſſis vuis, aridiſque ficubus, ad cibum accurrentes capiunt: abductoſque in Aegypto atque in aliis finitimis regnis vendunt. Atque hi ſunt ſerui illi nigri omnibus notiſſimi ex poſteritate Cham. Ab Azzuaan duodecim itinera peraguntur ad Hhalauan vſque, vbi Iudaei trecenti ſunt. Inde vero coniunctis turmis quinquaginta dierum iter fit per ſolitudinem, cui nomen alTſahhara in Zeuilan regionem quae eadem Hhauila eſt, ea videlicet quae in tractu Geenae ſiue Gineae eſt. Sunt autem in ſolitudine illa frequentes arenae montes, quae ventorum vi nonnumquam mota et fuſa iter facientium hominum turmas integras obruit et perimit: qui vero huiusmodi periculum vitare aut effugere potuerunt, multis rebus onuſti redeunt: vt ferro, aere,

Cham. Hhalauan.

Tſahhara ſolitudo. Zeuila. Hhauila. Geena.

aere, variis fructuum et leguminum generibus; sale etiam: aurum praeterea et pretiosissimas margaritas asportant. Est autem regio haec in terra Chus cui nomen est Alhhabas, occasum versus. Ab Hhaluan itineribus tredecim in metropolim Kits venitur, quae caput initii Aegypti est: in ea Iudaeorum circiter triginta millia sunt. Inde vsque ad Pium quinque dierum iter est: haec olim Pithon dicebatur; vbi Iudaei viginti sunt: visuntur autem adhuc hodie non exigua monumenta operum a patribus nostris in illius vrbis aedificatione extructorum. Inde in Misraim quatuor itinera conficiuntur; vrbem magnam iuxta Nili ripas sitam, ex qua toti regioni nomen est factum, in qua Iudaei bis mille sunt, in duas diuisi synagogas; alteram Israelitensium, quae Saamiin synagoga dicitur; alteram vero Babyloniensium Ghirhhakiim synagogam appellatam. Varius alteris atque alteris mos et ritus in annuarum lectionum distributione obseruatur. Quippe Babylonienses consueuere singulis hebdomadis Parassas singulas legere, ea ratione quae toti Hispaniae solennis est: itaque singulis annis legem absoluunt. Israelitenses vero singulas Parassas in ternos ordines diuidunt, atque ita triennio legem perlegunt. Vtrique autem solenni ritu bis in anno simul coniuncti preces fundunt, die videlicet laetitiae legis, et die festo latae legis. Inter hos omnes primas tenet Na-

Chus. Hhabas. Kits. Aegyptus. Pium. Pithon. Misraim. Saamiin. Lectionis sacræ partitiones.

Nathanael primorum maximus, caputque Synedrii: qui omnibus Aegypti vniuersitatibus praeest, atque magistros et aedituos praeficit. estque inter primos et familiarissimos ministros magni regis in palatio atque solio Soan regiae videlicet in vrbe Misraim constitutae, quae vrbs filiis Chereb, hoc est, Arabibus omnibus metropolis est: nomen vero regis est Amir Almumanin Eli filius Abitaaleb: cuius terrae incolae omnes Moredim, hoc est rebelles vocantur: quippe qui sese abalienauerint ab Amir Almumanin Alghabazzi sedente in Bagdad. quamobrem magna atque perpetua inter vtrumque regem simultas est. Habet autem hic solium in Soan regia ipsa dicata. Prodit vero bis in anno, semel tempore paschatis festi ipsorum, atque iterum iis diebus quibus Nilus amnis exundat. Atque Soan ipsa muris cincta munitaque est. Misraim vero nullos muros habet, sed ex altero latere Nilo ambitur. Est vero haec maxima vrbs, multis foris atque publicis domibus instructa, Iudaeos multos diuites habet. regio ipsa neque pluuiam neque gelu neque niues vmquam vidit, calore vero nimio exaestuat. Nilo irrigatur, qui semel quotannis Elul mense exuberans, terram omnem operit et inundat ad itinera quindecim; durantibus aquis toto Elul et Tisri, humumque foecundantibus. Atque antiquorum

Soan siue Tsoghan, Misraim.

Iulii lunatione. Augusti luna.

rum ſolertia et diligentia illa fuit, vt in inſula quam fluuius facit, columna ſtatueretur duodecim cubitis ipſa communi defluentium aquarum ſuperficie altior; quae cum exuberante flumine tota operitur, certiſſimum ſignum eſt integrae inundationis totius regionis ad quindecimum vſque iter: cum vero ad medium tantum aquae excreſcunt, dimidiam regionem ſolummodo irrigatam arguunt. Singulis autem diebus quidam ei rei praefectus aquarum exuberationem metitus in Soan rediens clamat: Laudate Deum, quia tantum vel tantum amnis excreuit. namque diebus quindecim fluuii incrementum plerumque durat; qui ſi columnam omnino operit, eiuſdem anni vbertatem promittit maximam. Quicumque vero agros in ea regione habent, conductis operis foueas magnas aperiunt, in quibus decreſcente Nilo piſces recepti continentur; quos inde captos et abſtractos incolae comedunt, vel ſalitos mercatoribus alio aſportandos vendunt. Suntque fluminis illius piſces oppido pingues, quorum adeps eliquatus ad lucernarum vſus ſeruatur. Quiſquis vero illis piſcibus vel abunde ſatur eiuſdem fluminis aquam bibat, nihil omnino mali ſentit aut patitur. Eſt enim aqua illa ſimul et potus et medicina aduerſus huiuſmodi repletiones. Fuit autem perpetua quaeſtio variaque

Piſcium vſus.

Nili aqua.

que inter homines de Nili exundatione opinio, ſed Aegyptiorum ſententia eſt: eodem tempore quo fluuius hic exundat, vehementer pluere in ſuperioribus regionibus, hoc eſt in terra Hhabas, quam Hhauilam nominari diximus. Quo tempore fluuius non exundat, nihil in Aegypto ſeritur; atque ex hoc ſterilitas et fames conſequitur. Seruntur agri * Marhheſuan menſe, Nilo iam in alueum ſuum recepto: hordea vero metuntur menſe † Adar: triticum autem proximo poſt menſe, hoc eſt Niſan, eodemque menſe ceraſa matura ſunt, et amygdala et cucumeres, cucurbitae, ſiliquae et fabae, ſpelta, et lens atque cicer, variaque olerum genera, vt portulacae, aſparagi, et lactucae, coriandrum, cicoriae, braſſicae et vuae. Denique terra fertiliſſima, omnique bono plena eſt. irrigantur autem horti et pomoeria ex lacubus, lacunis, et ex aquis fluminis. Namque flumen ad Miſraim vrbem delatum inde in quatuor capita diuiditur; ex quibus vnum Damiatan praeterfluit, Caphtor olim dictam, iuxta quam in mare illabitur. Secundum defluit in vrbem Raſir Alexandriae proximam, ibidemque ſeſe mari immiſcet. Tertium decurrit ſecundum viam Aſmon maximae vrbis in Aegypti termino: iuxta ſingula illa fluuii capita multae vrbes, arces, oppidaque frequentia ad vtramque ripam ſita ſunt.

Vnde Hhabaſſini Aethiopes quos Graeci perperam Abyſſinos vocant.

* Sub Septembrem.

† Februarii fine.

Nili diuiſio.

Damiata.

Raſir.

Aſmon.

ſunt. Licet autem hominibus omnia peragrare, ſiue nauigiis, ſiue terreſtri itinere. nulla in toto terrarum orbe regio habitationum frequentia huic conferri poteſt; regio autem omnis plana, omniſque feraciſſima et bonis refertiſſima eſt. A Miſraim noua, antiqua Miſraim duabus leucis diſtat, verum tota vaſtata deſertaque eſt: retinet tamen murorum atque domorum veſtigia multa; viſendaque praebet theſaurorum et horreorum Ioſeph monumenta non pauca. in eodem etiam loco artificioſiſſima columna eſt, magica arte exſtructa, cui nulla ſimilis in tota viſitur terra. Horrea vero illa calce et lapidibus conſtant opere firmiſſimo. Extra orbis ambitum ſynagoga eſt Moſis doctoris noſtri in pace degentis nomine appellata, antiqui operis, quam adhuc extantem ſenex quidam miniſter colit diſcipulus ſapientum, quem Alſich Abunetſer, id eſt ſenem cuſtodiae patrem vocant. Eſt autem dirutae illius Miſraim diameter trium fere miliarium, vnde ad regionem Goſſen octo paranſangae ſunt: ea Bulzzir Zzalbizz dicitur, vrbs magna; in qua Iudaei circiter mille ſunt. Hinc dimidium iter conficitur in Ghizkaal le Ghein al Zzemezz, quae olim Rhagmeſſes fuit, nunc dirutae vrbis ruina, in qua opera multa conſpiciuntur a patribus noſtris quondam aedificata, in hiſque ingentes quaedam moles tur-

Miſraim

Horreorum Ioſeph monumenta.

Synagoga Moſis.

Goſſen Bulzzir Zzalbiz.

Ghizkaal. Ghein Alzemez. Raghmeſſes.

turrium instar ex lateribus constructae. Inde integrum iter fit ad AlBubiig vbi Iudaei ducen- AlBu-
ti sunt. atque hinc in Manziphtha dimidio die biig.
venitur, vbi Iudaei sunt ducenti. A qua vrbe Ramira quatuor distat parasangis, in eaque Ramira.
septingenti Iudaei sunt; vnde ad Lamhhala Lamh-
quinque dierum iter est, vbi quingenti Israe- hala.
litae sunt. Duobus post itineribus Alexan- Alexan-
driam venitur, vrbem ex Alexandri Mace- dria.
donis nomine sic appellatam, cuius iussu aedificatam et firmissime munitam fuisse legimus, magna murorum, aedium et palatiorum pulchritudine. Extra vrbem aedificium visitur magnum et speciosum, quod gymnasium fuisse dicitur Aristotelis Alexan- Gymna-
dri praeceptoris, in quo viginti fere scholae sium Ari-
sunt, totius orbis hominibus olim frequen- stotelis.
tatae, qui eo conueniebant Aristotelis philosophiam discendi caussa; et inter singulas marmoreae columnae erant. Est autem vrbs ipsa super soli pauimentum egregie, vti diximus, aedificata, et subterraneis cryptis et fornicibus, cuius plateis occultis homines in fora venire possunt, ita vt non videantur: ex quibus aliquae integro miliari protenduntur, vt a porta Resid vsque ad portam marinam; in qua porta via facta et strata fuit ad portum ipsum Alexandriae vrbis, quae ad miliare vnum intra mare porrigitur; quo loco turris aedificata fuit editissima, cui nomen incolae faciunt

Magraah, Arabes vero Magar Alecſandria, hoc eſt Alexandriae pharon; in cuius turris faſtigio ſpeculum quondam ab Alexandro conſtitutum fuiſſe dicitur vitreum, in quo naues omnes bellicae, quae vel ex Graecia vel ex omni occidente nocendi cauſſa in Aegyptum nauigarent, quinquaginta etiam itinerum terreſtrium, hoc eſt vltra quingentas paraſangas ſpatio remotae conſpici poſſent: atque ideo etiam praeuidendo caueri defenſione parata, atque inſtructa, donec multis poſt Alexandri mortem diebus, nauis quaedam ex Graecia venit, cuius magiſter Sodorus dicebatur, vir graecus, callidus et ſapiens, multiſque diſciplinis inſtructus. eodem autem tempore Graeci Aegyptiorum iugo ſubditi erant. Attuliſſe autem fertur vir ille auri, argenti atque purpureae veſtis magnum munus, qui iactis anchoris ante turrim illam conſtitit; ſic enim omnibus mercatoribus eo nauigantibus moris tunc erat. ab hoc igitur turris cuſtos aſſidue inuitatus et conuiuio exceptus fuit cum miniſtris omnibus, donec tandem quadam die largioribus poculis exceptus ille et miniſtri omnes illius, atque altiſſimo ſopiti ſomno, opportunitatem Sodoro fecere ſpeculum frangendi et comminuendi, atque in Graeciam, antequam res cognoſceretur, aufugiendi. Ex illo igitur tempore filii Edom biremibus et nauigiis magnis inſtru-

Pharos.

ſtructa claſſe Aegyptias res imminuere coeperunt, et Cretam prius magnam, deinde Creta. Cyprum inſulas adorti ceperunt, quae ad Cyprus. hunc vſque diem a Graecis poſſidentur. Neque amplius deinceps aduerſus Graecos Aegyptii vires ſuas colligere et confirmare potuerunt. Conſtat vero turris illa in hunc vſque diem, nautiſque procul venientibus ad iter in portum dirigendum magno vſui eſt, vtpote quae ſe interdiu quam longiſſime conſpiciendam praebeat ad quingenta vſque millia; noctu vero ignis accenſa pyra lumen etiam lampadis inſtar procul oſtendat, quod ſecuti nautae ad portum vſque certo itinere deuehuntur. Eſt autem Alexandria commerciis omnium populorum frequentiſſima atque celeberrima omnibus regnis Edom, regionibus Valentiae, Hetruriae, quae Toſcana nunc dicitur, Longobardiae, Apuliae, et Malci, et Siciliae, Rakophiae, Kartouiae, Hiſpaniae, Ruſſiae, Germaniae, Suſenaah, Danemarke, et Gelats, et Palnederis, et Hhitar, et Larmandiae, et Phraniac, et Piieto, et Ango, et Bogoniae, et Medianac, et Prouinciae, et Genuae, et Piſarum, et Gaſconet, et Aragoniae, et Nauarrae. Ex plaga vero occidua Iſmaelitis, Andaluzis vocatis, et Algadue* et Africae, et regionibus Arabum. Ex latere autem Indici maris et ex Hhauila Hhabaſſinorum regionibus et Lubiae, et Iermann, et Se-

Alexandria Aegypti.

* alias Algarue.

Senaar, et Seam. praeterea Iauan Graecis vocatis, et Turcis. Deferuntur vero in hanc vrbem ex India omnia aromatum genera, quae a mercatoribus Edom emuntur. Eſt autem magna mercaturae et negotiationis frequentia in vrbe ipſa, quae ſingularum gentium negotiationis domos atque apothecas et fora diſtincta habet. apud Alexandriam ſecundum maris littus antiquiſſimum ſepulcrum viſitur inciſis omnium animalium et auium figuris ornatum, litteriſque antiquis exaratum, quas nemo homo aut legere nunc aut cognoſcere poteſt. Sunt vero qui opinantes dicant regem quempiam antiquiſſimum ante diluuii tempora illic fuiſſe ſepultum. Eſt autem ſepulcri longitudo palmorum Hiſpanorum, videlicet extenſae manus a pollice ad minimum digitum, quindecim: latitudo vero ſex huiuſmodi palmorum eſt. Ex Iſraelitis circiter tria millia Alexandriae agunt.

Damiata. Ab Alexandria duo integra itinera Damiatam vſque conficiuntur, quae eadem Caph- Caphtor. tor dicta fuit, in qua ducenti Iſraelitae ſunt. Sonbat. Inde ad Sonbat dimidium iter, cuius inco- Linum. lae linum ferunt optimum, et retia ſiue conopaea texunt: atque haec merx per totum orbem diſtrahitur. Illinc itineribus quatuor Ailam. Elim. in Ailam, quae alias Elim dicitur, ab Arabibus in deſerto habitantibus nunc poſſeſſam Raphidim. et cultam. Vnde in Raphidim duorum dierum

rum iter est, vbi Arabes habitant; nullusque ex Israelitis est. Hinc vero ad Sinai montem vna die itur, in cuius cacumine fanum est monachorum qui Suriani appellantur. In montis autem radicibus castrum magnum est, quem Tor Sinai appellant; huius incolae Chaldaice loquuntur, hoc est lingua Thargum. Mons ipse paruus est quinque itineribus a Sinai remotus. Suntque huius loci incolae Aegyptiorum iugo subiecti. Erythraeum vero siue rubrum mare, olim Suph vocatum, vnius diei itinere a Sina monte distat, estque Indici oceani sinus ad Damiatam vergens; in quo sinu vnius diei itinere per mare peracto insula petitur Tunis dicta, eademque alias Hhanas appellata, in qua Israelitae quadraginta fere sunt. Atque hactenus Aegypti regnum est. Inde profectus viginti dierum marino itinere in Messanam deuectus fui, quae Siciliae insulae initium facit. assidet autem Messana, siue, vt nunc dicitur, Messina freto maris, cui nomen Lunid est inter Calabriam et ipsam Siciliam insulam interiecto. sunt autem illic Iudaei fere ducenti. Insulae solum fertilissimum est, omnibusque bonis refertum, hortis et pomoeriis excultum. hoc loco congregantur peregrini qui Ierosolymam iter instituerunt: quippe hinc optimus in Syriam et commodissimus transitus

Sinai.

Suriani monachi.

Mare rubrum.

Insula Tunis alias Hhanas.

Messana.

Lunid.

Calabria.

Panormus. situs est. Hinc duorum dierum iter Panormum feci vrbem magnam duo miliaria latitudine, totidem etiam longitudine complexam. In hac vrbe regia domus egregie constructa est a Guilielmo rege. Iudaei circiter mille et quingenti in illo commorantur loco: ex Idumaeis praeterea et Ismaelitis permulti. Terra fontibus et riuis abundat, tritici et hordei feracissima, hortis et pomoeriis instructa; cui nulla in tota insula aeque culta inuenitur vrbs, quippe quam rex sibi regiam con-

Alhiciana. stitutam perpetuo colit, cui nomen Alhiciana est: coluntur etiam ibidem fructiferarum arborum genera omnia. intra vrbem porro ipsam maximus fons scaturit, qui muro vallatus in viuarii vsum cessit, quam Arabes Albehira vocant, variis piscium eo delatis et inclusis generibus. Ornatur autem lacus regiis nauiculis argento et auro exornatis atque depictis. His rex cum vxoribus suis animi caussa non raro vehitur: in regiis etiam hortis magnum palatium est, cuius parietes auro atque argento obducti nitent; pauimentum vero variis marmorum generibus vermiculato opere depictum omnium orbis rerum imagines refert. Nullum aedificiorum exemplum huius vrbis aedificiis par spectatur. Insulae initium Messana vrbs,

vrbs, vti iam diximus, est, in qua totius terrae hominum transitus est, illo videlicet freto. inde autem itur ad Syracusas, Cataniam, Mazaran, Petalerian, Drepanum, cui Trapana nunc nomen est. Tota insula sex dierum iter continet. Iuxta Drepanum in mari coralinus lapis effertur, qui Arabice Almorgan vocatur. Traiecto portu ad Romanum vsque agrum trium dierum iter fit. Roma Lucam terrestri itinere quinque diebus itur: inde conscendendo et transmittendo monte, et Moraina praetereundo, Alpibusque Italiae superandis duodecim dierum iter traducitur ad Bardin vrbem, quae Germaniae initium est. Haec regio montosa est. Omnia autem Germaniae collegia Iudaeorum secundum Rhenum flumen magnum sita sunt a Colonia vrbe, quae regni initium est, ad vrbem Kesamburk dictam in Germaniae finibus: quod spatium quindecim dierum itinere longum est. Haec regio Aschenaz dicta quondam fuit. Hae sunt apud Germaniam regiones, in quibus Israelitarum collegia sunt, qui omnes magnifici habentur iuxta fluuium Mosellam et Konphilinas, et Odrancah, et Kuna., et Kotania, et Binga, et Garmezza, et Mastheran. Itaque Israelitae omnes per cunctas regiones dispersi commorantur.

Drepanum. Coralium. Roma. Luca. Moraina. Bardin. Kesamburis. Aschenaz. Mosella. Konphilinas.

tur. Quicunque vero impedierit quo minus Israel congregetur, non videbit signum bonum, neque cum Israele viuet. Quo tempore autem Deus visitabit captiuitatem nostram, et exaltabit cornu Christi sui; tunc dicet vnusquisque: Ego deducam Iudaeos, eosdemque ipse congregabo. In his autem ciuitatibus sapientum discipuli sunt, et collegia; amantque fratres suos, loquunturque pacem proximis atque remotis omnibus, hospitesque ad se venientes laeti et gratulabundi excipiunt, conuiuioque hospitali celebrato dicunt: Gaudete fratres nostri, quippe diuina salus tamquam in ictu oculi celerrima erit. Quod nisi nos metuentes dubitaremus finem nondum adesse, iam profecto congregati fuissemus: sed tamen nondum possumus, quoad veniat tempus cantici et vox turturis, et veniant legati et dicant: Semper magnificetur Deus. Scribere autem inuicem solent epistolas, quibus sese mutuo in Mosis doctrina confirmant. Lugentes vero Sion, et lugentes Ierusalem misericordias a Deo postulant, et deprecationi dant operam pullatis vestibus induti, atque abstinentiae intenti. Hae igitur metropoles quas commemorauimus, in Germania sunt, collegiis Israelitarum instructae. Sunt praeterea Astranburk, et Dauirasburk, et Man-

Vix possumus

datrach,

datrach, et Pessinghes, et Bamburk, et Sar, et Rasenburk, quae regni etiam finis est; in quibus etiam metropolibus multi ex Israelitis sunt, sapientum discipuli ac diuites. Inde autem et vlterius regio Bohem est, quae nunc Praga dicitur, estque Sclaboniae terrae initium; cuius incolae a Iudaeis ibidem agentibus Cananaei vocantur. hi filios suos et filias cunctis aliis nationibus vendunt: idemque Russi faciunt. Late autem extenditur regnum illud a porta Pragae ad portam vsque Pin vrbis magnae, quae in extremo regni fine sita est. Regio omnis montosa est, siluisque frequentissima, in quibus animalia illa inueniuntur, quae Veergares vocantur, eademque Zebellinae dictae. Caelum hieme adeo frigidum est, vt nulli per id tempus homini domo prodire tutum sit. Atque hactenus Prussiae regnum est. Hinc reuersus in Franciae regnum me contuli, quae regio Sarphat ab antiquis dicebatur. ex vrbe al-Sanad, sex dierum itinere peracto Parisios vsque maximam regni totius metropolin Ludouici regis regiam iuxta Siban fluuium sitam: in qua sapientum discipuli sunt omnium qui hodie in omni regione sunt doctissimi, qui noctu ac diu legis studio incumbunt, hospitales viri et benigni erga omnes transeuntes fratres, atque

diuinarum harum vrbium recentiora nomina. Bohem. Pin. Veergares animalia. Prussia. Sarphat. Sanad siue Zanad siue Zzod.

que socii omnium fratrum suorum Iudaeorum. Deus misericors misereatur nostri atque illorum, et confirmet super nos et super illos id quod scriptum est: Et reducet et congregabit te ex omnibus populis in quos dispersit te Dominus Deus tuus. Amen Amen.



DE-



DESCRIPTIONES MECHAE ET MEDINAE - ALNABI, ET SVPERSTITIONVM QVAE IBI VIGENT, EX ITINERARIIS LVDOVICI VARTOMANNI ET IOHANNIS WILDII.

Beniamin quidem Tudelensis, *amice lector*, πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄςεα· *verumtamen Mecham et Medinam - alnabi, Arabiae vrbes, illam natalibus, hanc ſepulcro, vtramque delubris et impia ſuperſtitione flagitioſe im-*

impostoris et pseudoprophetae Muhammedis famosam non adiit. Quin adire non minus Iudaeo quam Christiano capitale est. Adierunt tamen et lustrarunt Ludouicus Vartomannus Boloniensis, qui et Patritius Romanus,
Anno 1503. *ante annos CXXX; et nostra memoria Iohannes Wild Norimbergensis: alter ab altero seculi, et paullo amplius, interuallo seiuncti. Ex itinerariis igitur, ab vtroque lingua patria editis, vt in notitiam nostram, quae ab ea alioquin remotissima sunt, veniant, et quanta superstitione quantaque veri salutaris ignoratione magna pars mortalium laboret, intelligamus, quae huc faciunt, Beniamino adiungere libuit. Quibus fruere benigne lector, et vale.*





LVDOVICVS VARTOMANNVS ITINERARII AB ARCHANGELO MADRIGNANO IN LATINAM LINGVAM CONVERSI

LIBRO I. CAP. XI.

Peruenimus tandem ad vrbem, cui nomen est Medinatalnabi. Ad quartum lapidem a dicta vrbe puteum inuenimus. Ibi carauana, id est, camelorum agmen constitit, ibique vnius diei sumta mora, illic quisque se lauit, induitque mutatoria, vt nitidiore amictus habitu vrbem laetius ingrederetur. Ea frequens est populo, quippe quae circiter aedes trecentas habet. Moenia, vt aggeres, ex humo: domus vero tum lapideae, tum lateritiae sunt. Ager qui vrbi adiacet ob diuinam interminationem nullius ferax, si id excipias, quod ab vrbe ad geminum lapidis iactum circiter quinquaginta palmae visuntur, quae cariotas ferunt. Praeterfluit hortum quendam ibi aquarum decursus. Is quasi ex loco cliuoso ad gradus ferme vicenos quaternosque in subiectam planiciem effunditur: inde aquantur cameli, quum illuc proficiscuntur. Sed tempus iam appetit, vt eorum refellam opinionem, qui autumant Mahumetis viri impurissimi arcam apud Mecham in

H aëre

aëre absque adminiculo pensilem consistere. Ego longe aliter sentio, adfirmoque ea nec vera, neque verisimilia esse, vtpote qui coram haec perpendi, vidique locum vbi humatus est Mahumetes in memorata vrbe Medinatalnabi: moram enim inibi tridui fecimus, vt in horum omnium certissimam deueniremus notitiam. Prima die vrbem iniimus. Quum vero delubrum eorum, (Meschitam appellant,) ingredi contendebamus, id prius non licebat quam comite quopiam paruo vel magno. Ii apprehensa manu nos illo ducebant, vbi humatum adseuerant Muhametem.

De delubro et sepulcro Mahumetis, deque eius sociis.

CAPVT XII.

Delubrum eius testudinatum est; longitudine passuum centum, latitudine vero passuum octoginta patescit. Gemina porta ingressus adeuntibus patet. A latere triplici tegitur opere concamerato: fulcitur columnis quadringentis ex lateritio opere albicantibus. Lychni pensiles accensi, (lampades appellamus,) plures admodum, numero quasi trium millium. Ab altera delubri parte in priori loco Meschitae turris (*tumba potius*) visitur ambitu quinque passuum quaquauersum testudinata, pannoque contecta serico: ea crate aerea faberrime facta ful-

fulcitur, *id est, cancellis aereis septa est*, distantia duorum passuum, abque adeuntibus quasi per transennam conspicitur. Laeuorsum angusta porta itur ad turrim: et quum eo perueneris, rursum angustiore ianua admittendus es. Ostium huiusmodi hinc et hinc complures codices, bibliothecae instar, honestant: alterum latus viginti, alterum vero quinque et viginti condecorant: illi enim Mahumetis sociorumque traditiones foedissimas, tenoremque vitae eius continent. Intra dictam portam sepulcrum visitur, id est, defossus locus, vbi adstruunt conditum esse Mahumetem, sociosque eius, Nabi videlicet, (*is ipse pseudoprobeta Mahomet est*) Bubacar et Othomar, Aumar et Fatoma. *Rectius efferuntur haec nomina Abubecer, Othman, Homar, Fatema.* At Mahumetes dux erat, Arabsque natione. Mahumetis gener erat Hali: quippe qui eius natam Fatomam vxorem duxerat. Bubacar is est, quem ferunt inter purpuratos patres relatum esse, adque summam apostolatus apicem nequicquam aspirauisse. Othomar et Aumar in exercitu Mahumetis praefecti militum erant. Ii singuli singulos habent gestorum traditionumque suarum codices. Ob eam rem discors admodum id genus foedissimum, inter se concertant, aliis alia affirmantibus: multifariam enim diuiduntur, nec satis sciunt cui potissimum credant, mutuisque ob id caedibus se conficiunt ceu belluae, his addicti haeresibus ac falsis opinationibus pensique nullius.

De secta Mahumetis.

Cap. XIII.

Nunc vero denarrabimus mores ac sectam Mahumetis. Igitur in excelsiore turris parte est locus patens in circuitu, fastigium turris extra ambire volentibus. Mox compertum fiet vobis, quibus vsi sint dolis, vt carauanae imposturam facerent. Primo vesperi, quo illo deueneramus, vt viseremus Mahumetis sepulcrum, dux agminis (*Emirbatzum alii vocant*) ad se accersiri delubri, id est Meschitae antistitem iubet, eumque in hunc ferme modum alloquitur: Eo venisse vt viseret Nabi, quae vox prohetam Mahumetem significat, corpus: precium eius rei saraphorum fore quaterna millia: parentes se habere nullos, minusque germanos, sorores, coniuges natosque: neque se illo contendisse commercii caussa, vt aromata, aut baccas, et id genus monilia praestinaret: profectioni caussam dedisse desiderium seruandae animae, amoremque comparandae salutis: ob id se ardere desiderio visendi corporis prophetici. Ad haec praefectus delubri, (Sidi appellant,) quasi lymphatus respondit: Audesne his luminibus, quibus tot patrasti scelera, eum velle conspicari, cuius intuitu deus maximus coelum ac terram creauit? Et rursum dux noster: Domine rex verum dicis, sed abs te vnum liceat impetrasse, vt videam prophetam: quo viso, in eius

eius gratiam effodiam mihi mox lumina. Sidi vero respondit: Cuncta tibi aperiam princeps. Nemo it inficias quin hic propheta noster vitam exuerit: qui si voluisset, potuisset quidem apud Mecham decedere: verum vt inopiae specimen prae se ferret, eoque nos instrueret exemplo, hic quam alibi maluit rebus humanis exui: ilicoque in deorum sedes relatus est ab angelis, adeoque in coelum veluti compar receptus est consessum. Et iterum dux noster ad templi praefectum: IESVS CHRISTVS MARIAE filius vbi est? At Sidi: Ad Mahumetis pedes. Ad haec dux noster respondit: Sufficit, sufficit, nolo plura scire. Post haec delubro egressus dux conuersus ad nos infit: Respicite, pro qua re terna millia saraphorum prodigere volebam. Eadem die vesperi hora ferme tertia noctis, ex senioribus Mahumetanae sectae decem forte vel duodecim carauanam ingressi sunt: ea enim ad iactum lapidis ab vrbis porta constiterat. Ii igitur succlamare coeperunt huc atque illuc cursitantes ceu fanatici, Mahumetes dei nuncius resurget: o propheta, o deus, Mahumetes resurget, parce mihi deus. Exciti his inclamationibus dux noster nosque arma expedire coepimus, rati Arabes esse, qui direpturi carauanam aduentassent, percunctantes quidnam rei esset, quidue inclamarent: quoniam non aliter tumultuabantur, quam nos Christiani, quum inopinato rescimus factum esse miraculi quippiam. At senes responderunt: Num con-

ſpicitis fulgorem, qui e ſacrophago prophetae Mahumetis effulſit? Ad hanc vocem dux noſter: nihil, inquit, video: noſque percunctatus eſt, vidiſſemuſne quippiam. Reſponſum eſt a nobis, nihil vidiſſe nos. At vnus ſenum; eſtiſne, infit, mamaluchi. Huic rurſum dux: ſumus ſane mamaluchi. Tunc ſenex: vos domini nequitis coeleſtia conſpicari, vtpote neophyti, inque noſtra fide nondum firmi. Ad haec noſter dux reſpondit: O inſani, daturus eram aureorum terna millia, mehercle dabo numquam, canes canibuſque prognati. Noueritis itaque non ſplendorem e ſepulcro emicuiſſe, ſed ſenes ignem flammamque commentos eſſe, vt ſub velamento fulgoris nobis imponerent, ceu diuinitus id ſplendoris contigiſſet. Ob eam rem iuſſit dux, vt de caetero nemo noſtrum delubrum iniret. Id etiam exploratum vobis ſiet, adiuratiſſimeque vobis adſtruimus, inibi ferrum chalybemue haud eſſe, minuſque magnetem, nec propius montem quam ad quartum lapidem eſſe. Nos illic tridui moram egimus, cauſſa reficiendi agminis. Ad eam vrbem commeatus omneque annonae genus ex Arabia felici, abque Babylone, Cayrum vocant, necnon Aethiopia comportantur marique aduehuntur Erythraeo, a quo vrbs abeſt itinere quatuor dierum.



Quo-

Quomodo itur ad Mecham.

CAP. XIV.

